DIDACTICA

METHODVS IOANNIS ANTONII DELPHINI

e Caſali maiore

Conuentualis Franciſcani.



Bononiæ apud Anſelmum Giaccarellum, & Perregrinum Bonardum Socios.

CHRISOSTOMVS RVFVS, A TERRA NOVA CALABER

Cœleſtinus De Io: Antonij Delphini Didactica Methodo.

Garrula multiloquus Zoroaſtes carmina fingat
Que uelit Hermippus reddere clara michi
Metiri terras morbos curare laboret
Eudoxus, cuius Linea curua fuit
Hipparcus fixas curans oſtendere ſtellas
Ad Lunæ motus ingenioſus erat
Et Clypeus Niſi, Didimaonis arte paretur
Et ſuperet fabros dedalus ingenio.
Alchimedon præſtet cælata reponere uaſa
Praxitelem clarum monſtret in arte lapis.
Sit Veneris tabula pictor celebratus Apelles
Quiq; uuis fictis ludere aues. Potuit
Non ſperes abſq; hoc libro perdiſcere quicquam
Recte, ac non ſperes poſſe docere alios.
Plus cunctis ratio, metodusq; didactica fecit
Perpetuo ut uiuat magnus Ariſtoteles.
Hanc ille agnouit, porrò hanc ſeruauit ad unguem,
Hanc nunc Delphinus, quæ perijt, renouat.

F. LEONARDI BONA-
TI LICIENSIS COELESTI-
næ Familiæ, Alumni Epigramma.

VT *Mare tranquillum reddit* Delphinus *in* Alto
Apparens nautis præbet Iterq; *bonum*
Hic *Ita* Delphinus, *qui rerum* Aenigmata *ſoluit*
Dat *lucem tenebris omnibus arte ſua*
Vnde boni cuncti credant uerum omne doceri
Non *ſecus ac* Cecinit Phœbus Apollo Lyra.

EIVSDEM BONATI IN
Garrulos Diſticon.

G*Arrule quid garris? quid perſtrepis* Inter Olo *(res*
An*ſer? quid doctam* Pallada *deſpicias?*

IOANNES ANTONIVS DELPHINVS E CASALI MAIO-re Conuentualis Franciſcanus, Hieronymo Saulio Genue Archiepiſcopo & Bononiæ Prolegato, De Didactica Metodo. Liber unus.

MVltum diuq; uerſatus ego a teneris, ut græci dicũt unguiculis tũ in philoſophia tũ in cæteris homine quidẽ ingenuo & liberaliter, educato dignis artibus & diſciplinis Hieronyme Sauli *ornatiſſime antiſtes, & uir clariſſime: nihil uſpiam uidere potui elegantius: nihil uenuſtius & pulcrius: deniq; mirabilius nihil, ordine: illo quidẽ ſublato de medio conſiſtere nihil poteſt: illo aũt ſeruato fiunt omnia rectiſſime: perſtant omnia & conſeruantur pulcherrime. certe ſapientiſſimus* Deus *omnes res, quas infinita ſapientia & bonitate ſua condidit: eas mirifico quodam ordine fecit: ingradibus, locisq; ſuis decenter collocauit: ſimulq; in eiſdẽ perenni atq; immutabili prouidẽtia cõſeruat. quis, etiã eloquẽtisſimus orator, ac ubertate dicendi & copia multo preſtantiſſimus queat pro dignitate rei ordinen explicare: qui perpetuo eſt in beatis illis ſpiritibus, quos, appelamus* Angelos*: ut equidem in preſentia*

pemodū eorū Hierarchias & choros omittā: et qua ratiōe alij alios doceant, alloquantur, illuminent pur gēt: in quibus relucet ac ſplēdet mirabiliter eximius quidam ordo: eorum alij pertere a ſummo rerū omniū opifici & parenti deo aſſiſtunt famulanturq; uenerabundi aſſidue: alij ad uaria obeunda munia & offi cia, mittuntur proijs preſertim qui, ut Apoſtolus inquit, futuri ſūnt olim æternæ quidem hæreditatis participes: alij certis regnis, & prouincijs & publi cis magiſtratibus perficiuntur: alij ſingularibus & priuatis hominibus regendis, adiuuandis, & modis omnibus defendendis præſūt: alij celeſtes notabilesq; orbes & globos cient: ac ſine ulla quiete circum ter ram, quæ medium mundi locum tenet, ſemper uoluunt. quorum ſane tantus ordo eſt ex diſsimilimis mo tibus, ut cum ſumma earum ſtellarum, quæ errare di cūtur, Saturni refrigeret: media Martis incendat: his nteriecta Iouis illuſtret, & temperet: infraq; Mar tem & Solem duæ Soli obediant: Sol ipſe mundum omnem ſua luce compleat: ab eoq; Luna illuminata grauiditates & partus afferat, maturitateſq; gignē di: quā copulationē rerū, & quaſi cōſentientē ad mū di incolumitatē coagmentationem, naturæ qui ſecū reputet, facere nō poteſt, quin maximam ordinis nō in tueatur admirabilitatem, quātus deinde ordo, quā generi hominum, atq; adeo cunctis animantibus ſalu taris elucet in ſtellarū progreſſibus, & regreſſibus

cæteriſq; motibus conſtantibus & ratis? dum ille cer tiſſimis de cauſis tum occultantur, tum rurſus ape- riuntur tum abeunt, tũ retrocedunt, tum antecedunt, tum ſubſecuntur, tum celerius nobis moueri uidentur tum tardius, tum nemoueri quidem, ſed ad quodam tempus inſiſtere. Age deſcendamus a cæleſtibus ad hæc generationi atq; interitui obnoxia. quis nõ uide- at in eis mirabilem propemodumq; diuinum ordinẽ? nonne ut perpetuo ille in caducis & fluxis rebus cõ ſeruaretur, curauit fecitq; optimus maximus Deus, ut inferior hic mũdus illi cæleſti et ſuperiori, a quo regitur eſſet contiguus? quo uidelicet & aſtris et ſy deribus illis uires adeoq; influentiæ ſpargerẽtur co- pioſius, & largius diffunderẽtur in hæc ipſa omnibus tẽporibus generabilia & coruptibilia. tũ nocturno rum quidem ſpatiorum inenarrabili quodam ordine, eadem nobis æqualitas eſſet, quæ diurnorum: & ſolis tũ acceſſibus, modicis tũ receſſibus caloris, & frigo- ris modus tẽperaretur: ac nobis æſtates, & hiemes efficerẽtur: & ea duo tẽpora: quorũ alterũ hiemi ſe neſcenti adiũctũ eſſet: alterũ æſtati. non ne prepotẽs deus ordinẽ porro locauit poſuitq; immundo, ut rerũ generationes atq; obitus eius globi atq; orbis inua- riabili motu, qui ſtellarum inerrãtiũ eſt, perennes & perpetui eſſẽt? utq; uarijs planetarũ motibus uariæ ſemper generationes et corruptiones fierent? poſſem hoc loco, ſi prolixius mihi præfari liceret, nullo pro

negocio cõmemorare, qui ſit ordo, & quã ſalutaris, in huius mũdi ſimplicibus corporibus, quæ uocamus elemẽta: in metheoricis rebus in metalicis, & cũctis mineralibus: in plantis: in animalibus: in familijs in Rebus publicis: in populis, in artibus, in ſcientijs, in omnibus deniq; rebus cum temporarijs, tum ſempiternis. Quis obſecro eſt, qui plane ignoret, neminem neq; ducem bello, neq; principem domi res magnas & ſalutares abſq; populorum & exercituum ordine gerere aliquando potuiſſe? Neq; philoſophum, neq; ullum & ijs, qui toto pectore aſſiduis & literaris ſtudijs incumbentes ueritatem inquirerent, potuiſſe aliqua cũ gloria & laude conſequi et aperire abſtruſam latentẽq; ueritatem? Neq; hiſtoriarum ſcriptores, neq; poetas, neq; oratores, neq; iuriſconſultos, imo ne illos quidem, qui ſeruilibus & ſordidis artibus operam darent, feliciter ineo, cui maxime ſtuderent, excelluiſſe? niſi ante oculos ordinem habuiſſent, quem in tractandis propoſitis rebus, & in perueſtiganda ueritate ſequerentur. itaq; ſatis ſuperq; animo reputans, & cogitans mecum diutius ordinis utilitatem & neceſsitatem in acquirendis optimis quibuſq; artibus & ſciẽtijs, de methodo ſcripſi, ut quoadeius fieri poteſt, ego ſtudioſæ iuuẽtuti auxiliarer & prodeſſem, quaſiq; filum ei Ariadnæ porrigerem: cuius ductu poſſet ex irremeabili difficillimarum rerum labirinto exire, atq; occiſo Mi-

nothauro inſcitiæ noſtræ, ueritatem ipſam latentem referre in apertum, eamq; omnibus cognoſcendam plane oſtendere. Dicare autem uolui tibi hanc didacticam methodum integerrime Antiſtes: primum ut ea ſit memoriale quoddam & monumẽtum poſteris meæ ſingularis erga te obſeruantiæ. deinde quoniã tu ualde propenſus animo es in methodum: ueluti proximis diebus, cum tui ſalutandi gratia inuiſiſſem te, facile deprehendi ex noſtro familiari, quæ tua incredibilis eſt humanitas, colloquio. tũ quia poſtremo es quaſi alter Mecænas literatorũ & ſtudioſorũ omnium longe amantiſſimus, & patronus optimus faxit deus optimus maximus ut ad ſublimiorem gradum honoris & dignitatis in eccleſiaſtica Republica proueharis, quemadmodũ Pij & doctiſſimi quiq; uiri aſſiduis orationibus præcantur. ego uero ad methodum explicandam & aperiendam aggrediar: ſi neceſſaria quædam prius quaſi preludia breuiter & diligenter annotauero.

QVAM SVMVS TRAditurı Methodum, non omnino eſſe firmam & inuariabilem.

OPERAE Precium eſt admonere ante omnia ſtudıoſos : quos procedẽdi ordines cõſtituemus, quãq; Didactıcam Methodum eferemus; eam haud quaquam eſſe ıta neceſſariam, ut non queat inuerti aliquãdo tam. & ſi cũ euariãda & inuertenda fuerıt : hoc pro iuditio eruditorum & doctorum hominum fieri oportebit. Qui ſic omnia ex arte faciunt : ut probe diſſimulent artem & occultent. atq; id profecto mirum eſt artificium : ſic arte uti, facere id minus, ut uidearis. Ac opus eſt illam Horatij ſententiam in memoria perpetuo hærere.

IN uicium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.

NOS OPORTERE SEQVI METHODUM : & quatenus eam ſequi oporteat.

QVANVIS alicubi non omnino & ex acte ordines illos, eamq; Methodum obſeruare in

terdum conueniet: tamen optimum factu erit & cõ modiſſimum, & pulcherrimum, ſi hac uia, quam oſtendemus, quo ad eius fieri poterit, omni adhibita cura & diligentia proficiſcemur ad rerum agnitionem: eo quidem pacto, eaq; lege, ut ſemper caueamus, ne anxiam quãdam affectationem & ſolicitudinem præ nobis feramus. ita ſimus inquam diligentes, ut non uideamur ſtudere maluiſſe ordini exactiſſimo dicendi & ſcribendi: quam rei: quæ propoſita eſt: omni ſtudio explicandæ. ne ſimiles forte fortuna quarundam muliercularum ſimus: quæ dum comuntur, dum poliuntur, adeo intentæ ſunt circa fucos, & cincinnos, & reliquas huiusmodi nugas: ut uideantur ſine iudicio ludicra illa, & futilia quærere maluiſſe, quam ut ſpectatu formoſæ ab hominibus paſſim iudicarentur.

QVOMODO TRACTARE *debeamus communia.*

QVAE Porro nobis communia ſunt cum alijs ita pertractare debemus proprie, ut noſtra omnino eſſe uideantur. ne ſimus tanquã Aeſopi Graculus: neue centonas conſcribere aut recitare: ac ineptas & inſipidas quaſi farragines quaſdã componere uideamur, aut ex diuerſiſſimis pannis

quaſi pannoſam ueſtem conſuere putemur: & imprudenter & inconſulto preſtemus ridendi occaſionem lectoribus, & auditoribus noſtris, ſi quos nacti fuerimus Paulo *naſutiores. hoc autem in negocio ipſam quidem optimam ducem naturam ſequamur. quæ cũ ſtomachus uaria ciborũ genera ſumpſerit: omnia coquit & digerit, ut ex eis eundem ſanguinem, eandemq́; ſubſtantiam, eius, quod alitur, animalis, ingeneret. Similiter nos, cum ab alijs tractanda multa collegerimus, ea mentis iudicio accurate digeremus. & ex ijs unum quiddam, quod iam proprie ſit noſtrum, quodq́; pro noſtra quaſi prole habeatur, conficiemus. hoc uero maiorem laudem aſſequemur, quod ut* Horatius *inquit:* D*ifficile eſt proprie communia dicere.*

QVAECVNQVAE DIcturi ſummus in Methodo, nõ eſſe in quouis themate.

I*LLVD porro debet latere neminẽ, thematibus omnibus haud quaquã ineſſe omnia, quæ ſimus dicturi, partes, cauſas, definitiones, affectiones, demonſtrationes, contraria, & reliqua id genus,*

quocirca in rerum tractationibus, erit ſeruandus aut omnium, aut aliquorum eorum, quæ demonſtrabimus, ordo. ut ipſa quidem themata poſtulare uidebuntur.

QVALEM ESSE CONueniat eum, qui ſit alios edocturus.

HINC *ſequi neceſſe eſt, ut qui ſtudeat alios docere, uerſariq; feliciter in didactica Methodo, is debeat præſtare doctrina, eruditione, atq; iuditio. alioqui aptus ad docendum fuerit nunquam, & ſemper a Methodus erit: Horatij quidem teſtimonio uera hæc ſententia eſt.*

Scribendi recte, ſapere eſt & principium & fons.

QVALIA NOS PROFEremus exempla, & quid facere adoleſcentes expediat.

MVLTIS *ac fere omnibus locis ex Ariſtotele, qui uerus & præcellentiſſimus arti-*

ſex Methodi fuit, exempla depromemus: & paucula etiam quædam noſtra in fine adducemus in medium: nullum tamen, quod ſit quaſi totius artis imago, adhibebimus, ne ſimus æquo prolixiores: quam quã ita per tractabimus Methodum, ut fere poßit ad reliqua themata omnia præſertim ſimplicia tractãdã pro exẽplo haberi: iuxta enim Methodi canones diſſeremus de Methodo. propterea ſtudioſos adoleſcentes hortor, ut certa ſibi themata accipiãt, ſeſeq́; in illis iuxta regulas & documenta Methodi plenius tractandis exerceant. non poſſunt ea quidẽ ut ad Herenium ſcribit M. Tullius, quæ ſumuntur ab alijs exẽpla tam eſſe accomodata ad artem quã propria, propterea quod in dicendo leuiter unus quiſq́; locus plerũq; tagitur, ne ars appareat. itaq́; parent ſibi adoleſcentes priuatim & conſcribant expreſſa exempla, quæ in totius artis formam conueniant, idq́; faciant quotidiani exercitij cauſa tantisper dum aſſuefiant ad Methodum: ut poſt in dicendo & ſerio ſcribendo non poſſit ars eminere, & ab omnibus uideri, facultate ipſorum quidem prudenter occultata. id autem facere nunquã pigere illos debebit: conſtat enim artem ſine aßiduitate dicendi & ſcribendi, adeoq́; tum addiſcendi, tum edocendi, ſiue quidem publice ſiue priuatim, non multum iuuare. hoc uero unũ placuit in præſentia monere adoleſcẽtes, ut intelligerent, hanc rationem preceptionis

accomodari ad exercitationem oportere: ſi quidem eſſe cupiant didactici.

DVO ESSE A DIDACTI *cis obſeruanda.*

QVICVNq; *porro uelint Didactici eſſe, hoc eſt apti ad docendum, eos diligenter obſeruare oportet duo: quæ lumen & ſplendorem afferunt: nempe Methodum, ac proprietatem ſermonis: præſertimq; in Philoſophia, & in alijs ab homine inuentis artibus & ſcientijs. Nam in tradẽda euangelij, & diuinæ legis doctrina, ipſaq; adeo Theologia, quamuis omnino conueniat Methodum obſeruare: non ita tamen alterum. relicta enim plerunq; ſermonis proprietate, utilißimum eſt dulcißimumq; uti Methaphoris, certis tropis, & ſchematibus. Quod profecto licet ſimiliter facere, ijs quorum intereſt pueros & omnem iuuentutem erudire, atq; ad bonos mores ac uirtutes capeſſendas animare: ijsq; in primis, qui ſermonem habent ad populum, aut etiã priuatim ad illiteratos & rudes quoſlibet, eos conſolando, admonendo, exhortando, repræhendendo, laudando, uituperando, ſuadendo, diſſuadendo. At quia de ſermonis proprietate alij dixerunt quam plurimi, ego propterea hoc tempore ſolum de Methodo agam.*

QVID VOCABVLVM *Methodi ſignificet.*

METHODVS *Græcum nomen eſt, ac ſemitam, callemq́; breuiſsimam, & compendiarium diuerticulum ſignificat, quo celerius iter expediri ſolet. dupliciter autem hoc nomẽ eſt apud bonos authores in uſu. primum quidem trãſfertur ad ſubitas ducum atq; imperatorum & exercituum occupationes. illi enim cum repente uolunt hoſtium arcem aut caſtra inuadere ſiue occupare, quam poſſunt expeditiſſimas uias & calles, breuiſsimaq; diuerticula inquirunt: ut fallant hoſtes, atq; illos quaſi obruant de improuiſo. Deinde hoc idem nomen transfertur ad ſcientias & artes quaslibet: ut ſimili quoq; ratione breuiſsimasq; in docendo uias Methodum appellemus. Quid Methodi uocabulo indicetur expoſuimus, deinceps aperienda eſt eius multiplicitas: ut perſpicuum habeamus, de qua Methodo proprie ſimus dicturi.*

cæteriſq; motibus conſtantibus & ratis? dum ille cer tiſſimis de cauſis tum occultantur, tum rurſus aperiuntur tum abeunt, tũ retrocedunt, tum antecedunt, tum ſubſecuntur, tum celerius nobis moueri uidentur tum tardius, tum nemoueri quidem, ſed ad quodam tempus inſiſtere. Age deſcendamus a cæleſtibus ad hæc generationi atq; interitui obnoxia. quis nõ uideat in eis mirabilem propemodumq; diuinum ordinẽ? nonne ut perpetuo ille in caducis & fluxis rebus cõſeruaretur, curauit fecitq; optimus maximus Deus, ut inferior hic mũdus illi cælesti et ſuperiori, a quo regitur eſſet contiguus? quo uidelicet & aſtris et syderibus illis uires adeoq; influentiæ ſpargerẽtur copioſius, & largius diffunderẽtur in hæc ipſa omnibus tẽporibus generabilia & coruptibilia. tũ nocturnorum quidem ſpatiorum inenarrabili quodam ordine, eadem nobis æqualitas eſſet, quæ diurnorum: & ſolis tũ acceſſibus, modicis tũ receſſibus caloris, & frigoris modus tẽperaretur: ac nobis æſtates, & hiemes efficerẽtur: & ea duo tẽpora: quorũ alterũ hiemi ſeneſcenti adiũctũ eſſet: alterũ æſtati. non ne prepotẽs deus ordinẽ porro locauit poſuitq; immundo, ut rerũ generationes atq; obitus eius globi atq; orbis inuariabili motu, qui ſtellarum inerrãtiũ eſt, perennes & perpetui eſſẽt? utq; uarijs planetarũ motibus uariæ ſemper generationes et corruptiones fierent? poſſem hoc loco, ſi prolixius mihi præfari liceret, nullo pro

negocio cõmemorare, qui ſit ordo, & quã ſalutaris, in huius mũdi ſimplicibus corporibus, quæ uocamus elemẽta: in metheoricis rebus in metalicis, & cũctis mineralibus: implantis: in animalibus: in familijs in Rebus *publicis: in populis, in artibus, in ſcientijs, in omnibus deniq; rebus cum temporarijs, tum ſempiternis. Quis obſecro eſt, qui plane ignoret, neminem neq; ducem bello, neq; principem domi res magnas & ſalutares abſq; populorum & exercituum ordine gerere aliquando potuiſſe?* Neq; *philoſophum, neq; ullum & ijs, qui toto pectore aſſiduis & literaris ſtudijs incumbentes ueritatem inquirerent, potuiſſe aliqua cũ gloria & laude conſequi et aperire abſtruſam latentẽq; ueritatem?* Neq; *hiſtoriarum ſcriptores, neq; poetas, neq; oratores, neq; iuriſconſultos, imo ne illos quidem, qui ſeruilibus & ſordidis artibus operam darent, feliciter ineo, cui maxime ſtuderent, excelluiſſe? niſi ante oculos ordinem habuiſſent, quem in tractandis propoſitis rebus & in perueſtiganda ueritate ſequerentur. itaq; ſatis ſuperq; animo reputans, & cogitans mecum diutius ordinis utilitatem & neceßitatem in acquirendis optimis quibuſq; artibus & ſciẽtijs, de methodo ſcripſi, ut quoadeius fieri poteſt, ego ſtudioſæ iuuẽtuti auxiliarer & prodeſſem, quaſiq; filum ei* Ariadnæ *porrigerem: cuius ductu poſſet ex irremeabili difficillimarum rerum labirinto exire, atq; occiſo* Mi-

nothauro inſcitiæ noſtræ, ueritatem ipſam latentem referre in apertum, eamq; omnibus cognoſcendam plane oſtendere. Dicare autem uolui tibi hanc didaſticam methodum integerrime Antiſtes: primum ut ea ſit memoriale quoddam & monumẽtum poſteris meæ ſingularis erga te obſeruantiæ. deinde quoniã tu ualde propenſus animo es in methodum: ueluti proximis diebus, cum tui ſalutandi gratia inuiſiſſem te, facile deprehendi ex noſtro familiari, quæ tua incredibilis eſt humanitas, colloquio. tũ quia poſtremo es quaſi alter Mecænas literatorũ & ſtudioſorũ omnium longe amantiſſimus, & patronus optimus faxit deus optimus maximus ut ad ſublimiorem gradum honoris & dignitatis in eccleſiaſtica Republica prouehoris, quemadmodũ Pij & doctiſſimi quiq; uiri aſsiduis orationibus præcantur. ego uero ad methodum explicandam & aperiendam aggrediar: ſi neceſſaria quædam prius quaſi preludia breuiter & diligenter annotauero.

QVAM SVMVS TRA dituri Methodum, non omnino eſſe firmam & inuariabilem.

OPERAE Precium eſt admonere ante omnia ſtudioſos: quos procedēdi ordines cōſtituemus, quāq; Didacticam Methodum eferemus; eam haud quaquam eſſe ita neceſſariam, ut non queat inuerti aliquādo tam. & ſi cū euariāda & inuertenda fuerit: hoc pro iuditio eruditorum & doctorum hominum fieri oportebit. Qui ſic omnia ex arte faciunt: ut probe diſsimulent artem & occultent. atq; id profecto mirum eſt artificium: ſic arte uti, facere id minus, ut uidearis. Ac opus eſt illam Horatij ſententiam in memoria perpetuo hærere.

IN uicium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.

NOS OPORTERE SEQVI METHODUM: & quatenus eam ſequi oporteat.

QVANVIS alicubi non omnino & ex acte ordines illos, eamq; Methodum obſeruare in

terdum conueniet: tamen optimum factu erit & cõmodiſsimum, & pulcherrimum, ſi hac uia, quam oſtendemus, quo ad eius fieri poterit, omni adhibita cura & diligentia proficiſcemur ad rerum agnitionem: eo quidem pacto, eaq; lege, ut ſemper caueamus, ne anxiam quãdam affectationem & ſolicitudinem prænobis feramus. ita ſimus inquam diligentes, ut non uideamur ſtudere maluiſſe ordini exactiſſimo dicendi & ſcribendi: quam rei: quæ propoſita eſt: omni ſtudio explicandæ. ne ſimiles forte fortuna quarundam muliercularum ſimus: quæ dum comuntur, dum poliuntur, adeo intentæ ſunt circa fucos, & cincinnos, & reliquas huiusmodi nugas: ut uideantur ſine iudicio ludicra illa, & futilia quærere maluiſſe, quam ut ſpectatu formoſæ ab hominibus paßim iudicarentur.

QVOMODO TRACTARE *debeamus communia.*

QVAE Porro nobis communia ſunt cum alijs *ita pertractare debemus proprie, ut noſtra omnino eſſe uideantur. ne ſimus tanquã Aeſopi Graculus: neue centonas conſcribere aut recitare: ac ineptas & inſipidas quaſi farragines quaſdã componere uideamur, aut ex diuerſiſſimis pannis*

quaſi pannoſam ueſtem conſuere putemur: & imprudenter & inconſulto preſtemus ridendi occaſionem lectoribus, & auditoribus noſtris, ſi quos nacti fuerimus Paulo naſutiores. hoc autem in negocio ipſam quidem optimam ducem naturam ſequamur. quæ cũ ſtomachus uaria ciborũ genera ſumpſerit: omnia coquit & digerit, ut ex eis eundem ſanguinem, eandemq; ſubſtantiam, eius, quod alitur, animalis, ingeneret. Similiter nos, cum ab alijs tractanda multa collegerimus, ea mentis iudicio accurate digeremus. & ex ijs unum quiddam, quod iam proprie ſit noſtrum, quodq; pro noſtra quaſi prole habeatur, conficiemus. hoc uero maiorem laudem aſſequemur, quod ut Horatius inquit: Difficile eſt proprie communia dicere.

QVAECVNQVAE DIcturi ſummus in Methodo, nõ eſſe in quouis themate.

ILLVD *porro debet latere neminẽ, thematibus omnibus haud quaquã ineſſe omnia, quæ ſimus dicturi, partes, cauſas, definitiones, affectiones, demonſtrationes, contraria, & reliqua id genus,*

quocirca in rerum tractationibus, erit ſeruandus aut omnium, aut aliquorum eorum, quæ demonſtrabimus, ordo: ut ipſa quidem themata poſtulare uidebuntur.

QVALEM ESSE CONueniat eum, qui ſit alios edocturus.

HINC *ſequi neceſſe eſt, ut qui ſtudeat alios docere, uerſariq; feliciter in didactica* Methodo, *is debeat præſtare doctrina, eruditione, atq; iuditio. alioqui aptus ad docendum fuerit nunquam, & ſemper a* Methodus *erit:* Horatij *quidem teſtimonio uera hæc ſententia eſt.*

Scribendi recte, ſapere eſt & principium & fons.

QVALIA NOS PROFEremus exempla, & quid facere adoleſcentes expediat.

MVLTIS *ac fere omnibus locis ex* Ariſtotele, *qui uerus & præcellentiſſimus arti-*

ſex Methodi fuit, exempla depromemus: & paucula etiam quædam noſtra in fine adducemus in medium. nullum tamen, quod ſit quaſi totius artis imago, adhibebimus, ne ſimus æquo prolixiores: quam quã ita per tractabimus Methodum, ut fere poßit ad reliqua themata omnia præſertim ſimplicia tractandã pro exẽplo haberi: iuxta enim Methodi canones diſſeremus de Methodo. propterea ſtudioſos adoleſcentes hortor, ut certa ſibi themata accipiãt, ſeſeq; in illis iuxta regulas & documenta Methodi plenius tractandis exerceant. non poſſunt ea quidẽ ut ad Herenium ſcribit M. Tullius, quæ ſumuntur ab alijs exẽpla tam eſſe accomodata ad artem quã propria, propterea quod in dicendo leuiter unusquiſq; locus plerũq; tagitur, ne ars appareat. itaq; parent ſibi adoleſcentes priuatim & conſcribant expreſſa exempla, quæ in totius artis formam conueniant, idq; faciant quotidiani exercitij cauſa tantisper dum aſſuefiant ad Methodum: ut poſt in dicendo & ſerio ſcribendo non poſſit ars eminere, & ab omnibus uideri, facultate ipſorum quidem prudenter occultata. id autem facere nunquã pigere illos debebit: conſtat enim artem ſine aßiduitate dicendi & ſcribendi, adeoq; tum addiſcendi, tum edocendi, ſiue quidem publice ſiue priuatim, non multum iuuare. hoc uero unũ placuit in præſentia monere adoleſcẽtes, ut intelligerent, hanc rationem preceptionis

accomodari ad exercitationem oportere: ſi quidem eſſe cupiant didactici.

DVO ESSE A DIDACTI *cis obſeruanda.*

QVICVNq; *porro uelint* Didactici *eſſe, hoc eſt apti ad docendum, eos diligenter obſeruare oportet duo: quæ lumen & ſplendorem afferunt: nempe* Methodum*, ac proprietatem ſermonis: præſertimq; in* Philoſophia*, & in alijs ab homine inuentis artibus & ſcientijs.* Nam *in tradẽda euangelij, & diuinæ legis doctrina, ipſaq; adeo* Theologia*, quamuis omnino conueniat* Methodum *obſeruare: non ita tamen alterum. relicta enim plerunq; ſermonis proprietate, utiliſſimum eſt dulciſſimumq; uti* Methaphoris*, certis tropis, & ſchematibus.* Quod *profecto licet ſimiliter facere, ijs quorum intereſt pueros & omnem iuuentutem erudire, atq; ad bonos mores ac uirtutes capeſſendas animare: ijsq; in primis, qui ſermonem habent ad populum, aut etiã priuatim ad illiteratos & rudes quoſlibet, eos conſolando, admonendo, exhortando, repræhendendo, laudando, uituperando, ſuadendo, diſſuadendo.* At *quia de ſermonis proprietate alij dixerunt quam plurimi, ego propterea hoc tempore ſolum de* Methodo *agam.*

QVID VOCABVLVM *Methodi ſignificet.*

METHODVS *Græcum nomen eſt, ac ſemitam, callemq; breuiſsimam, & compendiarium diuerticulum ſignificat, quo celerius iter expediri ſolet. dupliciter autem hoc nomē eſt apud bonos authores in uſu. primum quidem trāſfertur ad ſubitas ducum atq; imperatorum & exercituum occupationes. illi enim cum repente uolunt hoſtium arcem aut caſtra inuadere ſiue occupare, quam poſſunt expeditiſſimas uias & calles, breuiſsimaq; diuerticula inquirunt: ut fallant hoſtes, atq; illos quaſi obruant de improuiſo. Deinde hoc idem nomen transfertur ad ſcientias & artes quaslibet: ut ſimili quoq; ratione breuiſsimasq; in docendo uias Methodum appellemus. Quid Methodi uocabulo indicetur expoſuimus, deinceps aperienda eſt eius multiplicitas: ut perſpicuum habeamus, de qua Methodo proprie ſimus dicturi.*

DE METHODI MVLTIPLICITATE.

TOT Methodi ſunt in uniuerſum, quot exiſtunt genera cauſarum: quæ merito poteſt recipere omnis, qui ſit de re aliqua dicturus, aut ſcripturus: nempe demonſtratiuum, deliberatiuum iudiciale: & didacticum, in quibus omnibus, qui feliciter uerſari cupit, & cum ſui ipſius laude, & aliorum utilitate, ſummo ſtudio Methodum ſeruare debet. Ac demonſtratiuum quidem genus eſt, quod in alicuius certæ perſonæ, aut facti, aut rei, laudem ſeu uituperationem attribuitur cum amplificatione. Deliberatiuũ porro eſt quod poſitũ in conſultatione habet in ſe ſuaſionẽ aut diſſuaſionem. Deinde iudiciale eſt quod poſitum in controuerſia habet accuſationem, aut petitionem cum defenſione. Poſtremo didacticum eſt quod poſitum in dubitatione aut queſtione, habet quandam in ſe facultatem docendi, qua diſtincte & appoſite de qualibet re in qualibet ſcientia & arte poßimus facile differere. Quanquã porro quiſq; uerba faciens in omni genere docet aliquo modo: tamen in demonſtratiuo proprie delectat: in deliberatiuo, & iudiciali proprie flectit: in Didactico proprie docet, in omni autem genere nititur mouere auditores ad perſuaſionem. tria priora proprie ſpectant ad eos, qui locuntur in

publica concione, atq; in foro: Sed genus Didacticum ad eos proprie attinet, qui docent in ſcholis, Philoſophiam, aut Theologiam, aut quaſuis artes alias & diſciplinas.

IN QVO GENERE DEBEAT VERſari *Theologus & chriſtianus prædicator.*

ILLVD Non *eſſe hoc in loco prætereundum iudicaui, chriſtianũ homiliſtã & cõcionatorẽ, quã quam orationem habet in publico cetu, uerſari tamen proprie debere in genere* Didactico: *quandoquidem* Chriſtus *dominus &* Deus *noſter, cum* Apoſtolos *ſuos ad obeundum munus prædicationis mitteret, dixit docete omnes gentes.* Ac Paulus ait: *oportere epiſcopum (cuius intereſt concionari ad populum, & ſibi commiſſum gregem pabulo ſanæ doctrinæ, atq; adeo uerbi diuini paſcere)* Didacticũ *eſſe: hoc eſt habilem ad docendum.* Debet *uero alia quoq; genera in promptu habere, non ſolum enim docere (quod illi proprium eſt) opus habet: uerũ etiam laudare, uituperare, ſuadere, diſſuadere, & quaſi in theatro huius mundi accuſare perfidos & impios doctores: inq; ipſius eccleſiæ foro uehementer pugnare ac diſputare, cum hereticis, & cum omnibus ueritati contradicentibus: ut illi omnino pudeſiant. opus habet deniq; ſanam prophetarum*

& Apoſtolorũ doctrinam non modo exponere, ſed etiam obnixe pedibus & manibus defendere: atq; à peruerſis impiorum hominum interpretationibus omni diligentia uendicare.

DE QVA METHODO *ſimus tractaturi.*

VT *ad inſtitutum redeamus, cùm ſint quatuor genera cauſarum quatuor ſimiliter in uniuerſam* Methodos *oportet eſſe.* Ac *nos tribus alijs omiſsis* Methodis *& cauſarum generibus: de quibus oratorum eloquentiſsimus,* Cicero*, & complures alij eruditiſsimi uiri, quantum par erat, diſſeruerunt, & literis mandarunt feliciſsime: tantum edocebimus & plane oſtendemus, quo pacto ſeruare conueniat in genere* Didactico Methodum*. quippe cum animus noſter, & propoſitum noſtrum ſit, quo ad eius fieri poteſt, iuuare ſcholas, & ſtudioſis conſulere. hanc igitur* Didacticam Methodũ *eſſe breuiter aperiamus.*

DIDACTICAM METHO DVM ESSE.

MAGNA illa uis & propenſio naturæ noſtræ, qua ducimur atq; inclinamur ad cognoſcendum rerum ordinem quid ſit, quod deceat in factis, dictisq́;, qui modus: quæ pulchritudo: quæ uenuſtas, & partium conuenientia: plane oſtendit hominem ad Methodum acquirendam natum eſſe. homo enim, qui rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, principia & cauſas rerum uidet, earumq́; progreſſus & quaſi anteceſsiones non ignorat, ſimilitudines comparat: rebusq́; præſentibus adiungit atq; annectit futuras, facile indicat, ſeminaria quaſi ipſius parandæ Methodi ſparſa fuiſſe a natura in cordibus & mētibus hominum: ut inde Methodus oriretur hominum ſtudio, ac diligentia, & aſsiduo labore adoleſceret, omninoq́; perficeretur. idcirco fuerunt qui exiſtimarent, Methodum eſſe naturalem illam uiam, quæ omnibus rationis participibus a natura inſita eſt, uel etiā pueris, & rudibus quibusq́;: dum ilico de oblatis rebus quærunt diligenter, quid ſint: quas cauſas habeant: unde oriantur: quam late pateant: ad quid proſint: quas res cognatas habeant: quid contradici poſsit: & huiuſmodi alia. Methodum eſſe docuimus nunc ad eius cauſas tranſeundum eſt.

DE CAVSIS METHODI.

CAVSA *Methodi efficiens humana eſt ratio, ac mens, probe dilucideq́; habens cognitas res, quaſiq́; in conſpectu: ut plane uideat, quid quoq́; loco, & quo modo tractandum ſit: efficit quidem & generat mens illos habitus, quorum habet propenſionem a natura. Sed non tamen ſine obiectis in quæ tendit ipſa mens atq; intellectus.* De*inde materialis cauſa Methodi eſt ipſū thema, quod tractandum & explicandum proponitur, aut quod nos quolibet modo accipimus. formalis porro cauſa Methodi ipſa quidem eſt aperiendarum rerum diſpoſitio.* Tum *finalis cauſa, eſt ipſe Methodi finis prius non quatenus iam eſt acquiſitus, uerum ut mente apprehenditur, & concipitur. nam fine cauſa finalis hoc intereſt, quod finis in re exiſtit, finalis autem cauſa in mente. Deinde finalis cauſa prior efficiente cauſa eſt: finis autem poſterior.* In*ueſtigandæ uero inueniendæq́; Methodi occaſionem præſtitit obſcuritas rerum, & ueri uidendi cupiditas: qua trahimur omnes & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ diligentem inquiſitionem. in qua pulchrum excellere putamus: quemadmodum contra labi & errare turpiſſimum eſſe arbitramur. cū Methodi iam cauſas indicauerimus, deinceps quid ſit ipſa Methodus, cōueniret omnino definire ſi nos qui*

dem uia illa reſolutiua proficiſci uellemus qua ſolemus reſoluere in partes ſuas omnia compoſita: mox enim poſitam definitionem in ſuas partes reſolueremus: ac tum partes demonſtrarentur. uerum quia compoſitiua malumus uia procedere: iccirco prius de partibus Methodi agemus, quam eius afferamus definitionem: quas partes non ſine aliqua diuiſione ac reſolutione inueſtigabimus & inueniemus. at nos reſolutionis multiplicitatem paulo poſt diligenter explicabimus.

DE PARTIBVS METHODI.

PARTES *Methodi ſunt duplices, aliæ quidem ſubiectiuæ, quæ perinde ſub Methodo continentur, ac ſpecies ſub genere. aliæ uero conſtitutiuæ: quibus tanquã ex componentibus partibus conſtat Methodi abſoluta definitio. nunc de ſubiectiuis partibus quam breuiſsime fieri poterit agemus, & mox de conſtitutiuis: quibus inuentis facile Methodum ipſam definiemus.*

QVAE SINT METHODI *ſubiectiuæ partes.*

SEX *Omnino ſunt partes Methodi ſubiectiuæ: rethorica, diuiſiua, definitiua, demonſtratiua,*

compoſitiua, reſolutiua. Ac ſane rethoricæ Methodi ſunt adhuc tres partes iuxta illa tria cauſarum genera, quæ ſupra expoſuimus: uidelicet demonſtratiuum, deliberatiuum, & iudiciale. quæq; minime tractanda hoc tempore ſuſcepimus. age porro ſubiectiuarum partium collationē prius faciamus, quam conſtitutiuæ partes aperiantur.

METHODI SVBIECTIVARVM *partium collatio.*

RETHORICA *Methodus tres quidē ſub ſe Methodos cōtinet: quarū una eſt demōſtratiui generis, altera deliberatiui, & iudicialis tertia. demonſtratiui autem generis Methodus circa laudem & uituperationem uerſatur: ea uero, quæ deliberatiui eſt, circa ſuaſionem & diſuaſionem: at iudicialis circa petitionem & accuſatiomem. Methodus præterea demontratiui generis delectat, ipſius autem deliberatiui, & iudicialis flectit. & nulla quidem Rethorica Methodus proprie docet, quãuis doceat aliquo modo. aliæ uero Methodi nempe diuiſiua, definitiua, demonſtratiua, compoſitiua, & reſolutiua docent proprie. Ac diuiſiua quidem utimur in explicanda nominis aut rei alicuius multiplicitate, ſeu communitate: in perueſtigandis & conferendis in uicem partibus quibuslibet: plerunq;*

etiam in effectibus & cauſis enumerandis. porro definitiua utimur ad rei eſſentiam & quiditatem exa periendam, aut aliqua ratione declarandã & deſcri bendã. Præterea demonſtatiua ipſos affectus & paßiones omnino ſubiectis ſuis ineſſe plane oſtendi mus. tum autem compoſitiua neceſſaria eſt cum pla ne ignoramus partes ex quibus conficienda ſit defi nitio: nam definitionis partes, quæ ſunt genera & differentiæ, uia compoſitiua reperiuntur & coniun gantur, cum inuente fuerint. Deniq; reſolutiua Methodus prodeſt cum deffinitionem iam habitam, & ex partibus ſuis compoſitam, in ea omnia, ex quibus conſtat, diſtribuere uolumus: reſolutio enim diuiſio quædam eſt. ac proinde reſolutiua Methodus in diuiſiua concluditur, quemadmodum ſubiectiua pars in toto uniuerſali: ac ſane latius patet diuiſi uæ Methodi utilitas. uerum de reſolutiua & com poſitiua Methodo peculiarius infra diſſeremus, nũc plane oſtendendum eſt quomodo una ſit Methodus, & quomodo, plures: ſi prius tamen reſo lutionis & compoſitionis multipli citatem breuiter expo ſuerimus.

QVOTVPLEX RESOLVTIO *ſit pariter & compoſitio.*

QVONIAM *Ob reſolutionis & compoſitionis multiplicitatẽ, nos de reſolutiua & cõpoſitiua* Methodo *non uno eodemq; modo loquemur, ſed forte aliquibus uidebimur eſſe admodum uarij, ac etiam inconſtantes. propterea facturus operæprecium uideor, ſi breuiter explicauero in præſentia quotuplex omnino ſit reſolutio, quotuplex ue compoſitio: ne quis in hac re magni momẽti cogatur eſſe perplexus & ambiguo animo. triplex igitur eſt reſolutio, de qua ſumus in hac noſtro* Di*dactica* Methodo *locuturi ſuis certis ac definitis locis.* Ac *prima quidem eſt, cum thema ſimplex & uniuerſale in ea, quæ profecto, non actu, ſed potentia in illo ipſo continentur, diſtribuimus: nempe in differentias aut in ſpecies & ſingularia, deſcendentes enim a ſuperioribus ad eorum inferiora, ut transeamus per multitudinem diuidendo neceſſe eſt, ac ſpargere atq; reſoluere oportet ipſum quaſi totum in ſuas quidem partes ſubiectiuas.* Deinde *altera eſt re ipſa compoſiti alicuius thematis, quod profecto ſi tractare diligenter uoluerimus, neceßse omnino erit in eius partes illud ipſum reſoluere, ac de partibus illis omnibus tractare ſigillatim: ut cũ eas probe cognouerimus, totum ipſum thema ex partibus*

huiuſmodi compoſitum facile intelligamus, & perſpicuum habeamus. Quamquam uero thema ſimplex una eſt incomplexa dictio: & compoſitum, unum proprie quidem eſt pronuntiatum apud Rethores & Dialecticos:*idq; nos dicturi ſumus infra, nũc tamen ipſum totum & compoſitum, prӕterquam quod pronũtiatũ & proloquium intelligimus quodlibet, etiam rem quamlibet nuuc intelligimus conſtantem omnino ex partibus ſuis: idq; dupliciter quatenus duplex totum eſt. nam aliud ſane totum eſt cuius partes quidem ſunt res inter ſe distinctӕ: qualia nimirum ſunt, ea tota quӕ* Phiſica *& eſſentialia uocamus ex materia & forma, adeoq; ex diſſimilaribus, aut ſimilaribus partibus compoſita: & ea tota quӕ tum integralia tum artificioſa dicimus, ut domus atq; id genus alia. porro aliud totum eſt, quod totum eſſentiale methaphiſicum appellamus, cuius partes nequaquã interſe re ipſa distinctӕ illӕ ſunt, quas methaphiſici uocant intentiones aut conceptus tum quiditatiuos tum qualitatiuos, ut omnia inferiora ſuperiorum ſuorum comparatione, tota ſunt methaphiſica, ut quӕ ſuis ex ſuperioribus, tanquam ex partibus eſſentialibus conſtituuntur actu. quamuis ut* Paulo *ante dixi, tanquã ſubiectiuӕ partes contineantur inferiora omnia in ſuperioribus, tanquam in totis uniuerſalibus, idq; non actu ſed potentia duntaxat: nam ueluti omne ſuperius, totum*

quoddam eſt in potentia, quod in ſua inferiora diui ditur, & reſoluitur tanquam in partes quidem ſubiectiuas. ita omne inferius totum eſt quoddam in actu, quod in ſuperiora ſua tanquã in partes eſſentiales hoc eſt ad eſſentiã pertinentes, haud dubie reſoluitur. Quo fit ut cum aſcendendo, tum deſcendendo reſoluamus, diuerſimode tamen, ut dixi, accepta reſolutione. Tertia deniq; reſolutio eſt, aut cumpoſiti unius quidem thematis, aut pluriũ: quæ non re ipſa ducitur, ſed animo ſolo & ſola intentione ab inuento fine. quemadmodum in epilogo didacticæ huius Methodi *plane oſtendemus. Ac ueluti diximus triplicem eſſe reſolutionem, itidem præterire debet neminem: triplicem eſſe compoſitionem. Sicut enim reſolutione prima unumquodq; ſuperius quod ſimplex thema eſt, in ſua inferiora tanquam in ſubiectiuas partes, de quibus predicatur, ſine dubio reſoluimus: ita unumquodq; inferius componimus ex ſuperioribus ſuis, tum nimirum ex quiditatiuis, tum ex qualitatiuis conceptibus atq; intentionibus. nam quemadmodũ ſpargimus & reſoluimus deſcendendo, & p multitudinẽ tranſimus: ita quoq; aſcendendo colligimus, & componimus, in unumq; multitudinem ipſam congregamus. ſpecies enim in unam naturam congregat multa, & magis etiam genus.* Particularia *uero ac ſingularia in multitudinem ipſum unum econtrario diuidere ſemper uiden-*

tur. ſpeciei nanq; communicatione, ut Porphirius inquit, complures homines unus ſunt homo. At unus atq; cõmunis, ipſis particularibus plures. nam ſin gulare ſemper eſt diuiſiuum. ipſum uero commune collectiuum, atq; unius eſt effectiuum ſuapte natura. Porro uelut ſecunda reſolutione, thema compoſitum, atq; omne totum aut phiſicum, aut integrale, aut methaphiſicum, reſoluimus in partes ex qui bus conſtituitur: ita partes huiuſmodi combinamus & componimus cum primum illæ quidem inuentæ fuerint. Ariſtoteles quidem ex inuentis conſtitutiuis partibus, hoc eſt genere ac differentijs uirtutis compoſuit uirtutis definitionem. Atq; idem compoſitam felicitatis definitionem reſoluit in partes ſuas: quas nimirum ſigillatim & exactiſsime in pluribus ethicorum libris expoſuit, quemadmodum poſterius indicabo. Præterea ubi deſinit aut certi alicuius the matis compoſiti, aut plurium quidem ſimplicium ab inuento fine ducta reſolutio, quæ ut dixi, fit ſola mente: ibi ſua oppoſita compoſitio iam reipſa incipit. quod ſane pulcherrimum negocium exemplis noſtris & Ariſtotelis in epilogo huius Didacticæ methodi perſpicuum faciemus.

VTRA SIT PRIOR, AVT POSTErior, *compoſitio ne, an reſolutio.*

CAETERVM *aliquis rogauerit, num compoſitio reſolutionem præcedat, an contra potius reſolutio compoſitionem? quoniam inquã prius inueniendæ ſunt partes, quam ex illis componendum quippiã conſtituamus, idcirco ea reſolutio, qua uel aſcendendo, uel deſcendendo, perquiruntur & inueniuntur partes cuiuslibet definiendi thematis prior eſt compoſitione: haud quaquam enim ullam componimus definitionem, niſi prius inuentis eius partibus.* At *ſi de reſolutione illa ipſa loquamur: qua totum quoduis in partes ſuas reſoluimus: haud dubie compoſitio anteit reſolutionẽ. quomodo enim totum aliquod in partes, ex quibus conſtat, reſolueremus: niſi prius illud eſſet cõpoſitum? quia porro confuſe procedendi ordo, eum quo diſtincte procedimus anteit: propterea ſimpliciter ea reſolutio, quam aſcendendo facimus, illam antecedit, quæ fit deſcendendo.* Tertia *deniq; reſolutio prior eſt ſua compoſitione. reipſa quidem poteſt feliciter aggredi nemo ad unum aliquod, aut plura, quorum ſit certus finis, componenda, niſi prius ille animo ductam á fine inuento reſolutionem prudenter & ſapienter efficiat.* Nunc *eo redeamus, unde noſtra fluxit oratio: & aperiamus quomodo ſint plures, quomodo ue una & ſola* Methodus.

QVOMODO PLVRES METHOdi ſint, & quomodo una tantum.

DVAE ſunt Methodi, una quidem rethorica: & logica ſane altera. quæ rethorica eſt, cum ſit una in genere, tamen ſub ſe tanquam ſpecies tres Methodos, continet, iuxta illa tria cauſarum genera, quæ Paulo ante indicauimus. At quia Didacticæ non ſunt hæ Methodi ſimpliciter, idcirco de his ipſis nunc proprie non loquimur. Deinde logica Methodus una quidem eſt in genere, quæ multas habet ſub ſe Methodos tanquam ſpecies, nempe diuiſiuam, definitiuam, demonſtratiuam, compoſitiuam, & reſolutiuam. propterea (omißis multis quæ diuinus plato de Methodo in plerisq; dialogorum ſuorum nobis tradidit: ut in philebo, in parmenide, in ſophiſta, in phedro, & in politicis) in ſuis thopicis dixit Ariſtoteles, Dialecticam eſſe Methodum, quæ uiam ad Methodos omnes habeat. harum autem Methodorum præter ipſam rethoricam, quæ proprie didactica non eſt, Alexander duas tantum recenſuit in cōmētarijs quos in primū librum thopicorū edidit Ariſtotelis, ſi modo ij commentarij ſint Alexan. demonſtratiuā nimirū & diuiſiuā: ea forſam motus ratione, quod reſolutiuā, cōpoſitiuā, & definitiuā, ꝑtinere ad diuiſiuā exiſtimauit:

quippe cum reſolutiua ſpecies quædam ſit diuiſiuæ: & a reſolutiua non differat ſubiecto compoſitiua: quemadmodum uia quæ ducit Bononia Mutinam: *& uia quæ* Mutina *ducit* Bononiam, *ſola ratione differunt: & definitiua* Porro *a diuiſiua oriatur.* Hamonius *autem in præfatione quinq; uocum* Porphirij *quatuor numerauit, diuiſiuam inquam, definitiuam, demonſtratiuam, & reſolutiuam.* Ac *de compoſitiua illum eo feciſſe nullam mentionem iudicandus eſt, quoniam a reſolutiua quam memorabat, uidit compoſitiuam differre ſola ratione. præterea* Ioannes *grammaticus,* Damaſcenus, *& alij recentiores* Poſthabita *definitiua, commemorarunt diuiſiuam, demonſtratiuam, reſolutiuam, & compoſitiuam, arbitrabantnr enim; cum definitiua oriretur a diuiſiua, omnino ſuperuacaneam fore peculiarem definitiuæ ipſius commemorationem.* Deinde *annotatione dignum eſt, grammatucam etiam* Methodum *eſſe, quæ ſuas etiam ſpecies contineat. uerum quia ſi grammaticæ aliquæ* Methodi *exiſtant, præter eas quæ in dialecticis aperiuntur, minime ſunt* Didacticæ. *propterea de ijs meminiſſe hoc tempore nihil refert. itaq; una tantum eſt generatim didactica* Methodus, *& quinq; ſunt proculdubio ſpetiatim: ut diximus. hãc uero unam in genere* Methodum, *oſtendam* Paulo *poſt triplicem eſſe, quatenus triplicia quidem themata fuerint.*

A DIDACTICA METHODO LOGIcam præſupponi & rethoricam.

PErſpicuum eſt ex his, quæ diſſeruimus: eũ qui Methodi ſtudioſus feliciter uelit eſſe, oportere dialectica, ſeu logica imbui diſciplina, (quamuis non me lateat quanta differẽtia ſit inter logicã & dialecticã, tamen uocabulo dialecticæ utar etiam pro logica, quod grauißimi certe authores, plerũq; faciunt) quam artem docendi uocamus. omniũ quidem thematum pulcherrime illa naturam docet, cũ ſimplicium diuiſione, ac definitione, tum compoſitorum argumentatione. Ac dialecticæ nimirum, ſeu logicæ duæ partes exiſtunt, quarum ſane prima eſt κριτικὴ hoc eſt forma, ſiue ars iudicandi: altera τοπικὴ hoc eſt ratio inueniendi, ſiue ars locorum. & hæc ſane locos plane oſtendit a quibus medium petitur, quo ipſas quidem conficiamus argumentationes, atq; ueras eſſe aut falſas enuntiationes probemus. Altera uim thematis docet ſimplicis & cõpoſiti. conſtituta igitur dialectica, quam tradidit Ariſtoteles, ac alij doctißimi uiri, nobis agendum eſt accuratius de Methodo. ſed unum illud monemus in primis iuuenes: Rethoricam ſimul cum grammatica, quam uocant bene, apte, copioſe, diſtincte, atq; ornate dicendi ſcientiam, nõ prætermittendam eſſe. quemadmodum enim omnes orationis neruos & ro-

bur a dialecticis petimus, ac tanquam primas cauſæ lineas ducit omnino dialectica: ita ornatum a rethoricis mutuamus: ac rethorica ipſa quaſi uiuos addit orationi colores. Poſtremo quas res breuiter apertéq; dialectica tradidit, eas rethorica multo cumulatius explicat. Quanquam uero ijs, qui didactici eſſe cupiant, magis copia eſt rerum neceſſaria, quã uerborum atq; orationis: tamen hortor iuuenes, ut non ſolum dialecticã uerum etiam rethoricam addiſcant. eam profecto cum apprehenderint, ſentient eſſe uarijs modis etiam atq; etiam utilem. diximus de ſubiectiuis partibus Methodi, *ſupereſt ut de conſtitutiuis breuiter agamus.*

DE GENERE ET DIFferentijs Methodi.

QVONIAM *definituri* Methodum *ſumus, ac definitio cõſtat genere & differentia, propterea opus eſt in primis genus* Methodi, *eiusq; differentias inueſtigare diligenter. cum igitur* Methodus *in anima ſit: ac in anima tria ſint, potentiæ, affectus, habitus: neceſſe eſt*, Methodum *aliquod unum eſſe illorum trium: non autem potentia eſt, neq; affectus: ergo habitus eſt. cum autem alij ſint infuſi ab optimo maximo* Deo *habitus, alij acquiſiti. ad præſens negocium infuſi nihil attinent:*

ſed tantũ naturaliter acquiſiti: Deinde *quoniã acquiſitorum alij ſunt morales, rationales alij: ab hac reijciendi ſunt conſideratione morales: quia ſane ad appetitum ordinandum & cohibendum ſine dubio pertinent.*Rationaliũ *porro qui recipiũtur in intellectu alij ſunt fallibiles & cum dubitatione atq; oppoſitorum formidine, ut opinio & fides: alij conſtantes ac infallibiles: & hi ſunt quinq;, intelligentia, ſapientia, ſcientia, ars, & prudentia & horum ſane: primi ad propoſitum noſtrum non faciunt, ſed alteri duntaxat. itaq; genus* Methodi *eſt habitus: differentiæ autem ſunt acquiſitũ, rationale infallibile. ac hæ ſunt partes* Methodi *conſtitutiuæ: has igitur combinantes & componentes* Methodi *abſolutam definitionem proferemus: ſi prius qui nam habitus ex infallibilibus ſit ipſa* Methodus *apuerimus.*

SIT NE METHODVS HABITVS ILLE QVI ſcientia eſt.

S*Vnt grauiſſimi uiri,qui* Methodũ *negent ſciẽtiã eſſe,quẽadmodũ neq; logica ſcientia eſt:idẽ enim de* Methodo *et de logica diſciplina iudiciũ ferũt*

ſunt porro alij, qui affirment. atq; opinantur utriq; ſe magnis & inſolubilibus quidem rationibus moueri ad ſententiam ſuam defendendam. egò uero animum meum induco, Methodum ſcientiam eſſe, non ſapientiam, quia de rebus diuinis proprie non ſpeculatur: non intelligentiam, quippe cum circa prima principia minime uerſetur: non prudentiam, haudquaquam enim ratio ſingulariter eſt agibilium rerum: non deniq; artem, quandoquidem peculiaris factibiliũ ratio nequaquam eſt. cum ſane plures nõ ſint rationales atq; infallibiles habitus, quam illi quinq; Paulo *ante a nobis recitati ex uerißima peripateticorum ſententia: oportet* Methodum *unum eſſe aliquem ex illis ipſis: non autem ſapientia eſt, non intelligentia, non prudentia, non ars: quamquam huiuſmodi habitus acquirere ſine* Methodo *poteſt nemo feliciter itaq; ſcientia eſt.* Quod *uero ab aliquibus præſtantibus ingenio & doctrina inſtrumentum dicitur: quemadmodum* Ariſtoteles *dialecticam uocat organum organorum, & manum philoſophiæ, ac modum ſciendi: accipiendum illud eſt non conſiderando per ſe* Methodum, *quia in ſe ipſa conſiderata omnino ſcientia eſt: uerum quatenus refertur ad alios habitus: nam reliqui omnes habitus facillime acquiruntur per* Methodũ *perinde atq; per organum & inſtrumentum quoddam appoſitiſſimum & commodißimum. inuentis iam conſtituti-*

uis partibus, nunc uia compoſitionis definitionem Methodi proferemus.

QVID SIT METHODVS.

EX *his quæ diſſeruimus perſpicuum fit, Methodum eſſe habitum quendam naturaliter acquiſitum & rationalem: qui profecto quanuis in ſe conſideratus haud dubie ſcientia exiſtat, tamen per relationem ad alios omnes habitus denominatur ac reuera eſt organum, inſtrumentum, & modus ſciendi: per habitum plane conuenit inter Methodũ & omnes alios habitus, qui ſunt in anima noſtra tanquam per genus, cuius participatione, illius omnes quidem ſpecies unum quoddam ſunt. quemadmodum ergo alij habitus, ita etiam Methodus paranda eſt uſu & exercitatione: haud enim infuſus habitus eſt, ſed acquiſitus: quæ uocula in definitione poſita eſt, ut probe intelligeremus, ab infuſis habitibus differre ipſam Methodũ. deinde quia rationalis eſt, a moralibus differt habitibus. quatenus porro eſt uia inſtrumentũq; ad acquirendos cõmodiſsime & feliciſsime habitus omnes differt ab intelligentia, ſapientia, arte, prudẽtia, imo & a ſcientijs alijs omnibus, quippe cum aliæ ſcientiæ, aut nihil ad parãdos cæteros habitus conducant, aut certe non plane oſtendant exactiſsimum, & numeris omnibus qui-*

dem abſolutum ordinem tractandorum thematum: quod ſine dubio facit Methodus. *hanc* Methodi *allatam a nobis definitionem confirmare poſſumus authoritate peripateticorum,* Philoponiq; *in primis, & ſimplicij, qui* Alexandri *authoritate nititur.* Philoponus *quidem in prohemium* Ariſtotelis *de phiſico auditu ſic ait:* Methodus *autem eſt quidam habitus, qui uiam præſtat cum ratione cuiq;, qui ad aliquas artes ſcientiasq; capeſcendas animum adiungit.* Deinde *in idem prohemium ſic habet* Simplicius *nam ſi* Methodus *eſt (ut inquit* Alexander *) omnis habitus ſpectatiuus, cõtemplatiuus ue, eorum, quæ ad ipſum attinet cum ratione: ideſt cum cauſa, hoc eſt proceſſus ad cognoſcibile cum quadam uia recte riteq; ordinata: patet quidem ut* Methodus *non ſit principiorum cognitio, ſed ſcientialis notitia, quæ fit a principijs, cauſisq; rei cognoſcendæ. quarum ſcilicet rerum cognoſcendarum ſunt principia, uel ut elementa. hæc ſimplicius, quibus docet in omnibus recte, rite ue traditis, atq; ordinatis ſcientijs haberi lucidum & perſpicuum exemplar* Methodi*: cuius definitionem cum explicauerimus, iam de illius proprietatibus agendum eſt.*

DE PROPRIETATIBVS *& paſsionibus Methodi.*

PROPRIVM Methodi eſt *breuiter & perſpicue tractare poſſe omne thema: breuiter inquam & perſpicue docere poſſe unum quenq; in quibusq; optimis artibus & diſciplinis. itidem proprium eſt* Methodi *celerrimam & expeditiſſimam quarumlibet ſcientiarum & rerum apprehenſionem & perceptionem habere in animo. ut cum* Ariſtoteles, *quæ ſparſim & nullo ſeruato dicendi ordine ſcripſerant alij, ea in ordinem doctrinæ aptiſſimum & commodiſsimum redegit, uſus* Methodo *eſt. itaq; magiſtri & doctores ij laudibus merito efferendi ſunt in cælum, qui* Methodum *habẽt ſeruantq; in docendo: & ij uere ſunt felices & maxime fortunati adoleſcentes, quibus contigit, ut eorum in addiſcendo auditores eſſent, qui* Methodũ *ſeruarent quoniam & illi poſſunt quam primum edocere, & hi paucis annis laudatiſſimas apprehendere quaslibet artes & diſciplinas: ea quoq; de cauſa iuuentutem hortari operæprecium eſt: ut in quauis facultate bonos authores* Methodiq; *obſeruantiores habeant aſsidue in manibus, age uero has* Methodi *eſſe proprietates facile demonſtremus, demonſtratione uero nõ intelligimus eam, quã docuit* Ariſtoteles *in libris analiticorũ poſteriorũ: ſed quamlibet argumentationem.*

DEMONSTRANTVR METHODI paßiones de ipſa Methodo.

QVemadmodum ij duces occupare ſolent repẽte ac de improuiſo caſtra & urbes hoſtium, qui per ſemitas callesq; breuißimas & compendiaria diuerticula potuerunt ſuos exercitus ducere: ita celerrime aſſecuntur illi ſcientias & artes, qui per breuißimas expeditißimasq; uias doctrinarum a ſuis preceptoribus quaſi manu educũtur. huiuſmodi autem uiæ ſunt in Methodo: igitur propriũ Methodi eſt breuiter & perſpicue tractare poſſe omne thema, docere, atq; addiſcere. Deinde ſi habitus præſtans uiam cum ratione cuiq; ad aliquas artes ſcientiasq; capeſcendas animum adiungenti breuiter & perſpicue ad rerum notiones adducit: ac talis habitus eſt Methodus; non ne paßiones igitur & proprietates Methodi hæ ſunt, quas diximus? hactenus quæ Methodi eſſent proprietates, & quibus de Methodo rationibus demonſtrarentur aperuimus: nunc de uſu, officio, fine, & utilitate ipſius diſſerendũ eſt.

DE VSV ET OFFICIO DEQVE utilitate ac proprio fine Methodi.

IN eum uſum inuenta eſt Methodus, ut plane themata omnia tum ſimplicia, tum compoſita tra-

ctarentur : utq; multorum tractandorum thematum ordo cognoſceretur & ſeruaretur (atq; hoc Methodi officium eſt) quibus de rebus Paulo poſt, quantũ par fuerit, dicam. utilitas porro & fructus finisq; proprius Methodi eſt in abſtruſo poſitam ueritatem proferre in lucem: & omnino recte breuiterq; tum edocere alium tum ab alio addiſcere. qui profecto habitus ita conquiſitus, unus atq; idem reuera eſt: ſed quatenus ab eo eſt qui docet, appellatur doctrina, ut uero in illo eſt qui docetur, quiq; addiſcit, uocatur diſciplina. talem inquam in alio habitum producere hoc eſt docere, aut ex alio accipere, hoc eſt addiſcere, cum breuiter tum dilucide, proprius finis eſt Methodi: quia ſatis ſuperq; antea partium collationem indicauimus, nunc eo labore ſuperſedendum eſt. præterea Methodi ordinem in preſentia exprimi conueniret; ſed quoniam de illo ſatis multa diſſerere neceſſe eſt, idcirco eius ordinis tractatione in ultimum locum prorogata, nunc afferemus, quæ Methodo ſint contraria: & pugnantia cum Methodo argumenta diluemus.

CONTRARIA METHODO.

TOllere de medio ueras diuiſiones, definitiones demonſtrationes, quod amici noſtri quidam faciunt, in ijs libris, quos eleganter quidem, ſed

ualde imperite, indocte, & nugaciſsime proximis diebus ediderunt contra dialecticam, & Methaphiſicam, ut me illorum nomine pudeat pigeatq; ipſos omni laude in cælum efferendum ſtilum exercere uoluiſſe contra ſcientias & diſciplinas adeo utiles & neceſſarias: Deinde uiam compoſitiuam & reſolutiuam, omnemq; neceſſarium optimis quibusq; artibus & ſcientijs acquirendis ordinem perturbare & confundere, Pugnat uehemẽter cum Methodo. propter horum amicorum noſtrorum, quos indicauimus, & aliorum complurium temeritatem ac inſcitiam, qui omnibus ætatibus fuerunt: multi ſane hac ætate noſtra, plures maiorum noſtrorum temporibus extiterunt eloquentiſsimi & doctiſsimi uiri: At mira fuit ſemper eorum paucitas, qui poſſent cum auditorum, aut lectorum utilitate, quæ uel profecto ab alijs, uel per ſe ipſi didiciſſent pronuntiare, aut ſcribere. id autem in cauſa omnino eſt quod amethodi ſint, cum in erudiendis & docendis iuuenibus in cathedra, tum in componendis libris. & quales ij libri ſint, qui ſæpe numero eduntur ab huiuſmodi hominibus Venuſinus Horatius graphice adeoq; ſuis coloribus ita deſcribit.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi uelit: & uarias inducere plumas:
Vndiq; collatis membris, ut turpiter atrum

Deſinat

Deſinat in Piſcem mulier formoſa ſuperne:
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?
Credite Piſones iſti tabulæ fore librum
Perſimilem: cuius uelut ęgri ſomnia uanæ
Finguntur ſpecies, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ.

Quæ ſint Methodo contraria indicauimus: nunc diluenda ſunt aduerſariorum noſtrorum argumenta: eaq; præſertim, quæ nonnulli contra logicam diſciplinam & ſcientiam colligunt; maximam enim didacticæ Methodi partem aperit dialectica.

SOLVVNTVR ADVERSA- *riorum noſtrorum argumenta.*

PRIMVM *Argumentum. Quo ſcientia & facultas aliqua uere in artium genere ſit, & artis nomen uere ſibi poſſit uendicare, neceſſarium eſt, ut tria hæc habeat in omni arte requiſita: materiam in qua uerſetur agendo, uel faciendo aliquid: officium, quod præſtare debeat: finem, propter quem agat, faciat. Sine quibus tribus ne cogitari quidem poteſt, quomodo ars aliqua uere poſſit conſiſtere. ſic enim, ut rectiſſime Cicero docet in primo de inuentione, medicinæ materia ſunt morbi & uulnera, officium bene curare, finis ſanare. Quare ſi dialectica uere eſt ars, & inter artes me*

rito numeranda, oportet ut tria hæc habeant, materiam, officium, & finem: quorum tamen ipſa nullum uere habet nam quod ad materiam attinet, Ariſtoteles *quidem, quemadmodum* Rethoricæ, *ſic etiá* Dialecticæ *ſubijcit omnes res mundi. in primo enim* Rethoricæ *ait, utranq; in nullo determinato genere uerſari, ſed de omnibus rebus generaliter eſſe, & de nulla priuatim. Quare quod ad materiam attinet,* Dialectica *ex* Ariſtoteles *ſententia nihil differt a* Rethorica, *ut neceſſe ſit, ſi uolumus eam definire, & a* Rethorica *diſtinguere, omnis eius definitio & diſtinctio ab officio & a fine ſumatur.* At de officio et *fine* Dialecticæ *nec* Ariſtoteles, *nec quiſquam ueterum ſatis aperte ſcripſit, quod nam eſſet eius proprium officium, & qui proprius finis. itaq; nemini dubium relinqui poteſt, quin* Dialectica *nullo pacto nullaq; ratione recte poſsit a* Rethorica *diſtingui ac ſeparari: & propterea quin aut prorſus ſuperuacua, aut ſaltem* Rethoricæ *pars eſſe concedatur. omnis igitur* Methodus Rethorica *eſt.* Reſpondeo. *primum aduerſarij pueriliter decipiunuur omnem ſcientiam exiſtimantes practiam eſſe, aut nimirum actiuam, aut factiuam, cum aiunt, in omni arte ac ſciẽtia materiam eſſe neceſſariam, in qua ipſa quidem uerſetur agendo uel faciendo aliquid. ſunt uero ſciẽtiæ ſpeculatiuæ omnibus haud dubie practicis multo nobiliores, atq; longe præſtantiores: ad quas nihil*

attinet agere, nihil facere, ſed tantum ſpeculari & cognoſcere. ſpeculatiuæ igitur ſcientiæ haud quaquã agendo, uel faciendo aliquid, ſed tãtum cognoſcendo uerſantur in ulla materia. Deinde *propoſitio minor falſa eſt. nam dialectica ſuam habet materiam, ſuũ officium, & ſuum finem. ſi per materiam quidem ſubiectum intelligimus, materia logicæ ſcientiæ uel Syllogiſmus eſt, uel modus ſciendi, uel oratio, uel argumentatio, uel ſecunda intentio, uel quid tale, de quo mihi diſputandum hoc tempore non eſt. ſin porro id per materiam intelligimus, quod aliquo modo ſub logicæ conſiderationem cadit, omnia profecto aut re ipſa quidem exiſtentia, aut ſola etiam ratione, materia ſunt ipſius logicæ, tum quia nulla eſt res penitus, cui non applicari aliquæ ſecundæ intentiones queant. tum quia ſe ſe ad omnia extendũt diuiſiones, definitiones, argumentationes, & ea omnia, quæ aperiuntur in logica. quamobrem non ſolum addiſcenda logica eſt, uerũ etiam illa uti oportet in omnibus artibus & ſcientijs, niſi uelimus eſſe amethodi ac plumbei:* Rethoricæ *autem omnia ſubijciuntur, ſed alia quadam ratione. preterea officium eſt logicæ componere, diuidere, definire, argumentari, ſecundas intenteones rebus omnibus applicare.* Deniq; *finis eſt duplex, unus quidẽ intrinſecus, nẽpe uniuerſa & exacta modi ſciendi, aut ſyllogiſmi, adeoq; ſubiecti & eorum quæ ad ſubiectnm aliquo*

*modo referũtur notio atq; intelligentia.*Porro alter *extrinſecus: nimirum poſt adeptam logicam, eiuſq; intrinſecũ finẽ, non in logica ſolũ, at in alijs etiã arti bus & diſciplinis uerũ a falſo & notum ab ignoto diſcernere.*

DE METHODI AVTEM MATE-*ria, officio, & fine ſupra diximus.*

SEcundũ argumẽtũ. Nullus Dialecticæ *uſus eſt hodie, nec in priuatis, nec in publicis diſputatio nibus: nam mos ille antiquus diſputandi in con uentu doctorũ per interrogationẽ & reſponſionem, quo dialectici ueteres utebantur iam diu obſoleuit ac in deſuetudinẽ abijt. nemo enim amplius hoc tẽpore ſic diſſerit cũ aliquo, ut primo eum interroget, quẽ-admodũ docet* Ariſtoteles *in primo topicorum: aut hoc modo,* An *ſit animal gradiens bipes, definitio ho-minis quã propoſitionẽ dialecticã uocat: aut hoc mo do, ſit ne animal gradiẽs bipes definitio hominis nec ne: quod problema dialecticũ ab eodẽ dicitur.* Dein-*de quã ille partẽ uel propoſitionis, uel problematis reſpõderit, eã ipſe ſuſcipiat refutãdã ac deſtruendã. non inquã amplius hodie ſic diſſerit quiſquã: ſed is qui diſputat, ſiue priuatim, ſiue publice id faciat, pri mo proponit eas, quas uocant concluſiones, hoc eſt nõ propoſitiones, nec problemata more dialecticorũ: ſed alteram tantũmodo partẽ propoſitionis & pro-blematis dialectici, ſiue aiẽtem, ſiue negantem: & ijs qui contra argumentari uolunt, reſpondens poſitas*

concluſiones defendit, ſi poteſt. ſic enim fere hoc tẽpore diſputatur in publicis gymnaſiis & alibi, ut nuſquam appareat cõſuetudo illa diſputãdi, qua utebantur antiquitus dialectici, & cuius ordinem interrogandi, & reſpõdẽdi docet Ariſtoteles *in octauo topicorũ. quare etiã ſi uera foret* Dialectica, *tamen ſuperuacua eſſet & nõ neceſſaria, quoniã uſus & exercitatio eius abijt in deſuetudinẽ. Quorſum enim aliquis tantopere laboret ac defatigetur in perdiſcenda illa arte, quæ nullo in loco ſit in uſu? nec a quopiam eo mõ, quo quondã ſolebat, exerceatur?* Reſpõ*deo. Quid ſi conſuetudo illa per interrogationẽ, & reſponſionem diſputandi minime hoc tempore uſitata eſſet? nũ propterea uana, & ocioſa, & nihili omnino eſſet logica? nũ hoc tẽpore doctiſſimi uiri omnibus in ſcientijs & facultatibus non cõponunt? non diuidunt? non definiunt? nõ argumentãtur? nõ ſyllogiſmis, enthimematibus, inductionibus, locis, maximis, regulis, canonibus, & alijs quæ docet logica ipſa utũtur? ſed prorſus falluntur aduerſarij noſtri quippe cum nos in quotidianis congreſſibus & exercitationibus quæ fiunt ab adoleſcentibus noſtris in diſſerẽdo & diſputãdo curemus diligenter, ut nõ ſolum peruulgata uia incedant, ſed etiam ad conſuetudinẽ illam diſputandi. quæ per interrogationem, & reſponſionem fit, ſe accommodent: qua diſſerendi quidem ratione utuntur aliquando præſtantiſſimi*

& clariſsimi uiri : imo dominus ac deus noſter Ieſus Chriſtus ea diſputandi ratione confutauit principes ſacerdotũ. cnm enim illi docentem Ieſum interrogaſſent: in qua poteſtate faceret, quæ faciebat: & quis ei talem poteſtatem dediſſet: reſpondit in hunc modum apud Matheum, Marcum, & Lucam: interrogabo uos & ego unum ſermonem, quem ſi dixeritis mihi, & ego uobis dicam, in qua poteſtate hæc facio. baptiſmus Ioannis unde erat, e cælo an ex hominibus? hoc argumentum quo dominus Ieſus cum doctiſsimis Iudeorum in templo differebat, per interrogationem eſt: haud quaquam enim propoſuit illis unam duntaxat partem, ſed ex duabus partibus integrum problema, e cælo eſſet ne baptiſmus Ioannis, an ex hominibus interrogãs. id uero fuiſſe quaſi cornutum & inſolubile argumentum iudicauerunt principes illi ſacerdotum. ſubijcit quidem Euangeliſta: At illi cogitabant apud ſe, dicentes: ſi dixerimus e cælo: dicet nobis: quare ergo non credidiſtis illi? ſi autem dixerimus ex hominibus: timemus turbam. omnes enim habent Ioannem ſicut prophetam: & reſpondentes Ieſu dixerunt. Neſcimus. Ait illis & ipſe: nec ego dico uobis, in qua poteſtate hæc facio. præterea quod aiunt, omnes qui uel priuatim, uel publice diſputent, eas proponere quas uocant concluſiones. hoc eſt non propoſitiones, neq; problemata mote dialecticorum: ſed alteram tantum

modo partem propoſitionis & problematis dialecti ci. omnino id argumento eſt, illos etiam atq; etiam ignaros eſſe priuatarum & publicarum exercitatio num (literarios uocant circulos) quæ fieri ſolent in gimnaſiis & in ſcholis. quis rogo neſciat non modo concluſiones, uerum etiam dialecticas propoſitio nes & problemata quotidie proponi a ſapientiſſi mis hominibus & ab acutis adoleſcentibus? quis nō talium plena folia quotidie legat in ualuis templorũ atq; in publicis omnibus & priuatis locis affixa? quis non intelligat, non audiat, non uideat quoti die in utranq; partem diſputari?

Tertium argumentnm. *In ſumma ut clare intelliga tur, qualis ſit iſta dialectica a uulgo & ab imperi tis tantopere celebrata, pauca ueterum tam græco rum quam latinorum teſtimonia & iudicia de ea fa cta hic apponam.* Apud *græcos zeno ille ſtoicorum princeps dialecticorũ artes iuſtis menſuris dicebat eſſe ſimiles, quæ non triticum aliud quippiam alicu ius præcij, ſed paleas tantum & ſtercora metiun tur.* Ariſton *chius* Dialecticam *aiebat luto uiarum ſimilem eſſe, quod inutile cum ſit, tamen proſter nit tranſeuntes.* Idem *quoq; dialecticorum ſermones telis aranearum comparabat, ut qui ſubtiles admo modum, ſed inutiles eſſent.* Quin *etiam illud aſſere bat, eos qui* Dialecticæ *ſtudium profunde rimantur, cancros edentibus ſimiles eſſe, qui propter exiguũ*

illorũ alimentũ circa plurimas cruſtas occupantur. Nec defuerunt etiã apud græcos, qui Dialecticã *cõparauerint partim lunæ, quia ſimiliter ut luna nunquã ceſſat creſcere & decreſcere: partim* Polypo, *qui cirros ſuos aßidue auctos deuorat: ſic enim dialectici iam peritiores facti ſuas opiniones refutant: partim ijs qui alea ludunt, nam ut illi, ſic dialectici nõ ſine delectatione decipiũtur. Apud latinos uero, ut omittam* M. Ciceronem, *qui* Dialecticã *appellat tum inanẽ ſermonis elegantiam, tũ ſpinoſum dicendi genus, tũ ſpinas orationis, & alijs quibuſdam parũ honorificis nominibus. Author ille qui ſcripſit rethoricã ad* Herenium, *ſiue is* Cicero, *ſiue* Cornificius, *ſiue alius quiſpiam fuerit in ſecundo libro de* Dialectica *& dialecticis loquens aperte ait: præcepta dialecticorum nõ mõ nullo adiumento eſſe oratori, ſed etiam maximo impedimento. & paulo infra concludens ſermonẽ ſic inquit: uerum horum hoc eſt,* Dialecticorum *pueriles opiniones rectißimis rationibus, cũ uoles, refellemus. in preſentia hæc interim dicere nõ alienũ fuit, ut huius infantiæ garrulã diſciplinã cõtemneremus. hæc author ille de dialectica, & de* Dialecticis *monumentis literarũ proditũ reliquit.* Seneca *uero ubiq;* Dialecticos, *& dialecticã damnat & refutat, & quodã loco eam irridens, ita ſcribit:* Mus *eſt syllaba, syllaba caſeũ non rodit, mus igitur caſeũ nõ rodit, o pueriles ineptias: & quæ ſequũtur*

quibus uerbis Seneca nihil aliud ſignificare uoluit, niſi ſtultitiã Dialecticorũ: qui in huiuſmodi nugis, tanquã in rebus ſerijs totam ætatem conſumunt. & recte quidem: Seneca una cum omnibus illis, quos ſupra retuli, tam græcis quam latinis Dialecticæ uanitatem repreſentarunt, partim paleis & ſtercoribus, partim telis aranearum, & luto uiarum, partim lunæ ac Polypo, partim alijs quibuſdam huiuſmodi rebus eã cõparantes. Reſpondeo. Dialectica ſeu logica duplex eſt, una quæ ueris & conſtantibus præceptionibus & regulis docet componere, diuidere, definire, modisq; omnibus argumentari & diſſerere. hæc adeo utilis & neceſſaria eſt, ut ſine ipſa recte Philoſophari nemo poßit unquã. altera eſt apparens minime tamen exiſtens, perinde ac Simia, quæ cũ lõge differat ab homine, hominẽ tamen uideatur imitari, ſed ea ridicula ſemper eſt, hæc potius appellãda ſophiſtica eſt, quã dialectica & logica: et profecto quæ aduerſarij noſtri ex bonis & probatißimis illis græcis & latinis authoribus proferũt: non cõtra uerã Dialecticã & logicam dicta eſſe intelligi oportet: ſed contra ſophiſticã, quæ ſine dubio garrula, captioſa, & importuna eſt. Quemadmodum uero, ſi quis merito inueheretur contra rabulas, qui ut Cicero inquit, ſibi diſerti non uidentur, niſi omnia tumultu & uociferatione concuſſerint: is propterea nequaquã oratoribus detraheret.

ita qui ſophiſticam, & ſophiſtas irrident, ac deridē dos proponunt: illi propterea nihil Dialecticæ ueræ nihil uerorum dialecticorum honori & exiſtimationi queunt obeſſe. quādoq; uero dialectica uiſa eſt ſciolis quibuſdam iam inde uſq; a temporibus Parmenidis & zenonis garrula & inutilis. certe illam tamen ſapientes & docti uiri ſemper laudauerunt & ad eius ſtudiū exhortati ſunt adoleſcentes: ut qui ſine Dialectica futuri perpetuo ſint amethodi, & bonarum artium diſciplinarumq; omnino expertes. Si quidem Parmenides apud Platonem in Parmenide adhortans Socratem ad Dialecticas exercitationes ita inquit: cæterum collige te ipſum, diligentiusq; te in ea facultate exerce, quæ inutilis eſſe uidetur multis: & quædam garrulitas nūcupatur, hæc par menides apud Platonem. qui profecto ſi ualde non fuiſſet ab eorum ſtulta opinione alienus: qui male de ipſa Dialectica ſentiebant, nunquā tanta diligentia & ſtudio exortatus fuiſſet ad eam capeſcendam uel Socratem, uel quempiam alium. ſolutis iam aduerſariorum noſtrorum argumentis, nunc tranſeundū eſt ad methodi ordinem aperiendum, & diligenter explicandum. ſi tamen prius exeruero, quid ſit ordo & quo pacto differat ab ipſa methodo, & quot ſint ordines.

ORDO QVID SIT, QVAVE *ratione differat a Methodo.*

ORDO eſt quaſi paßio quædam fluens a methodo perinde atq; a ſubiecto ſuo : nam poſita methodo, neceſſe eſt quoq; poni ordinem: quandoquidem proprium eſt methodi, ut plane ordinata ſit : ac definito certoq; ordine quodã tradatur : alioqui eſſet nunquam Methodus. eſt igitur Methodus, ut definiui antea, quidam habitus naturaliter acquiſitus, & rationalis uiam parans ad acquirendos commodißime & felicißime habitus omnes. Ordo autem connexio & conſequentia illorum eſt, quæ per Methodum tractantur itaq; ordo ſic methodum ſequitur, ut ſubiectum paßio, et ſic differt a methodo, ut ſubiectum a paßione, uidere nunc operæprecium eſt, quot ſint ordines.

DVOS GENERATIM ESSE ORDInes, ad quos reliqui omnes reducendi ſint.

QVONIAM ordo eſt habitudo & conſequẽtia tractandorum, idcirco tot eſſe ordines conuenit, quot tractandorum fuerint connexiones & habitudines. ſunt uero duæ generatim rerum quas tractare opus eſt habitudines : una quidem ab uniuerſalioribus, & communioribus, ad uniuerſalia minus, & minus communia. Deinde altera huic oppoſita eſt a minus uniuerſalibus & cõmunibus, ad uniuerſaliora & cõmuniora. Sunt autẽ uniuerſalia &

cõmunia duplicia: uel predicatione: uel exiſtentia, & cauſatione: ut ſpeties, genera, & quæ de generibus maximis & generaliſſimis predicãtur, ſunt cõmunia predicatione. ſubſtantiæ autem ſeparatæ, cœleſtia corpora, & ſuperiores cauſæ a quibus particulares aliquæ pendent (ut ſol & homo, quẽadmodum Ariſtoteles inquit, hominem generant) ut materia etiam, forma, priuatio, locus, tempus, & huiuſmodi alia ſunt communes exiſtentia & cauſatione. itaq; duos generatim eſſe ordines oportet. quorum unus reſolutiuus eſt, ad quem ſane definitiuus, & demonſtratiuus referuntur: quamuis definitiuus ordo tũ cõpoſitiuum, tũ reſolutiuum, ut poſterius dicam ſubijciat aliquo modo. alter compoſitiuus eſt ad quẽ reducitur diuiſiuus. hoc uero quõ ſe habeat diligenter aperiamus. cum proficiſcitur quis a minus cõmunibus & uniuerſalibus ad cõmuniora ſecundũm predicationẽ is reſoluit inferiora quæ ſine dubio magis compôſita ſunt, diſtinctiora tamen, in ſuperiores cõceptus quiditatiuos, hoc eſt in ſua genera, & in qualitatiuos, conceptos, hoc eſt in ſuas differentias, qui ſane conceptus quiditatiui & qualitatiui, ſimpliciores quidem ſunt, uerum tamen confuſiores. cũ porro definitiones ex generibus & differentijs conſtẽt: manifeſtũ eſt uia reſolutiua definitiones rerũ eſſentiales inueniri. Deinde *quoniã p definitiones demõſtrãtur paſſiões de ipſis definitis, liquet ordinẽ ipſũ*

definitiuum pariter & demmoſtratiuum ad eum reſolutiuũ referri oportere. quo unũ quodq; inferius in ſuas quidem partes eſſentiales reſoluitur. quãquã uero iſte reſolutiuus ordo, eſt ordo & uia confuſe procedendi, tamen difficillimus eſt paucorũq; hominum, quia pauci ſunt, qui ualeant abſtrahere, conceptus quiditatiuos & qualitatiuos inuenire, ſpecierũ eſſentiales partes inueſtigare, ex quibus nimirum ſpecies conſtent, & definitiones conficiantur. Praeterea cum ab uniuerſalioribus & magis communibus reuertitur quis ad minus cõmunia & uniuerſalia, is profecto ex conceptibus illis ſuperioribus quiditatiuis & qualitatiuis inferiora omnia componit: quos nimirum conceptus antequam colligat & coniungat ad inferiora componenda, illos neceſſe eſt inuenire per diuiſionem & reſolutionem quemadmodũ antea dixi, cum reſolutionis & compoſitionis multiplicitatem explicarem. ut ſubſtantia tanquam ſane cõceptus quiditatiuus p materiale atq; immateriale tanquã p qualitatiuos cõceptus diuiditur. tum materiale cõtracta ſubſtantia illiq; omnino cõiuncta ſpeciem ſe inferiorem componit, uidelicet corpus: At per immateriale contracta, illiq; omnino adiuncta, ſpeciem alteram componit, ſpiritum inquam, & ſic prorſus de alijs omnibus dicendum eſt. patet igitur ad cõpoſitiuũ ordinem reduci oportere diuiſiuũ & reſolutiuum illũ qui ſuperiorũ eſt in ſua inferiora

iſte autem compoſitiuus & reſolutiuus ordo, tam et ſi ordo eſt, quo diſtincte procedimus, quoniam per ſuperiora diſtincte & definitiue cognoſcimus inferiora, non adeo tamen eſt difficilis ut is reſolutiuus quo in ſuas eſſentiales partes inferius unumquodq; reſoluimus. cum enim quis reſoluendo & abſtrahen do cõceptus quiditatiuos & qualitatinos, parteſq; adeo eſſentiales inferiorum compertas habuerit, tũ minime fuerit ualde difficile per diuiſiones a ſuperio ribus deſcendere ad inferiora, & ſparſos per diuiſiones conceptus quiditatiuos & qualitatiuos colligere, atq; inferiores quidem ſpecies ex illis coeuntibus componere. ex his facile eſt uidere, cum duæ ſint reſolutiones, quarum una eſt ab inferioribus ad ſuperiora: & altera econtrario a ſuperioribus ad inferiora illam difficiliorem & confuſiorem eſſe, hanc faciliorẽ, & diſtinctiorem. per quarũ utrãq; poſſumus definitionis partes inuenire, atq; porro inuentas componere. per primam quidem obſcurius difficilius & confuſius: at per alteram, qua deſcẽdendo reſoluimus, clarius, facilius, & diſtinctius. diximus de ordinibus, qui reperiuntur in ijs, quæ magis minuſq; uniuerſalia & communia ſunt prædi catione. nunc de ordinibus dicendum eſt, qui ſane reperiuntur in cæteris uniuerſalibus.

DE ORDINIBVS, QVI SVNT *in uniuerſalibus ſecundum exiſtentiam aut cauſationem.*

Duæ ſunt rerum connexiones & habitudines: una quidem ab uniuerſalioribus & cõmunioribus cauſis ad minus uniuerſales, adeoq́; a cauſis ad effectus: atq; in his compoſitiuus ordo eſt: fit enim quædam eorum compoſitio & unio, quæ uniuerſaria & ſimplicia ſunt, cum ijs quæ ſunt particularia & compoſita. Hunc ordinem *exactiſſimo obſeruauit* Ariſtoteles *in libris, quos de naturalibus rebus edidit: a maxime quidem uniuerſalibus cauſis ab indiſtanctisq; & ſimpliciſſimis incipit. ut a materia, forma, priuatione, motu, loco tempore: atq; ad particulares & diſtinctas cauſas progreditur. nam in opere auſculationum phiſicarum, qui primus liber eſt in naturalibus, uniuerſalia naturæ principia inquirit: ad particularia mox principia et diſtincta in ſequentibus libris oſtendenda proficiſcitur: ut poſtea facile demonſtrabo. ac diuiſiuus ordo ad compoſitiuum hunc ordinem referẽdus eſt. nam diſtribuuntur uniuerſales cauſæ in particulares, & omnino cauſæ in effectus.* Deinde altera *eſt connexio & habitudo rerum a particularioribus cauſis ad communiores, atq; ab effectibus ad cauſas. in qua rerũ habitudine ordo reſolutiuus conſiſtit, quia particularia in uniuerſalia, & effectus in cauſas,*

& principia donec ad ſummũ aliquod perueniamus, reſoluuntur: ut Ariſtoteles ex mouentibus & motis ad ſummum unum mouens non motum conſcendit Ad ordinem hunc compoſitiuum reducuntur & definitiuus & demonſtratiuus, nam ſiunt ex cauſis definitiones, & demonſtrationes, iam perſpicuum habemus tum quid ſit ordo & quo pacto differat a methodo: tum quot ſint ordines: uerum declaremus, qua ratione ij differant ordines, qui ſunt in uniuerſalibus ſecundum predicationem, ab ijs ordinibus qui ſunt in uniuerſalibus, ſecundum exiſtentiam & cauſationem.

DE ORDINVM DIFFERENTIA, *qui ſunt in utriſq; uniuerſalibus.*

ORdines illi qui rerum habitudinem & connexionem reſpiciunt, quæ ſunt predicatione uniuerſales, ad certi alicuius thematis Methodum & doctrinam pertinẽt. oſtendunt illi quidem facile quomodo & qua uia id unum thema pertractare conueniat: cum ſane id ignotum eſt, quantũ ad Ipſius quiditatem eſſentiamq; attinet, ordine reſolutiuo inquiruntur eius partes, ex quibus ſit definitio, quæ thematis quiditatem ac eſſentiam exprimit. cum autem ignotum eſt, quantum ad ipſius multiplicitatem cnnfuſionem, & cõitatem attinet ordine cõ

poſitiuo

poſitiuo nõ ſine tamen reſolutione, ut dixi antea manifeſtatur: nã diuiditur in partes, ex quibus thematis communitatem aperientibus, aliquod totum eſſentiale componitur. Ordine *porro demonſtratiuo nullum ſimplex thema, ſed complexum & compoſitũ ex ſubiecto & paßione, cum ignotum fuerit, plane oſtenditur.* Deinde *reliqui ordines cũ ijs rebus, quæ ſunt exiſtentia & cauſatione uniuerſales, habentes affinitatem, ſpectant non ad aliquod unum thema diligenter explicandum, ſed tantum ad plurium explicandorum thematum doctrinam &* Methodum: *ut habeamus in promptum quid prius, quid poſterius tractare oporteat. qua de re ſuo loco dicemus, quantum par fuerit.*

DEFINITIVAM METHODVM *habere duos ordines.*

QVanquã *diximus ad reſolutiuũ ordinẽ reduci ordinẽ ipſum definitiuum ſcire tamen operæpreciũ eſt duos ordines eſſe in definitiua* Methodo, *cõpoſitiuum & reſolutiuũ: quorum ſane cõpoſitiuus ad ſimplex thema, reſolutiuus autem ad cõpoſitum attinet. aut enim tractandum thema ſic propoſitum eſt, ut illius definitio inquiratur, ueluti fieri ſolet dum themata ſimplicia explicantur ut ſi uirtus proponatur definienda.* Aut *ſic propoſitum eſt,*

ut oporteat eius inuentam definitionem exponere. ut ſi proponatur felicitatis definitio hoc modo: felicitas eſt operatio animi per uirtutē in uita perfecta. Hi definiendorum thematum duo modi eo inter ſe differunt: quod primus eſt ſimplicis thematis: hoc eſt, ipſius definiti: alter autem compoſiti, hoc eſt definitionis, quæ primum compoſita ex partibus ſuis eſt: Deinde ipſa una cum definito componit quiditatiuam enuntiationem. Ad definiendum igitur ſimplex thema ordine compoſitiuo proficiſcemur: nō tamen ſine reſolutiuo, quia reſolutione prius ut ſupra dixi, partes definitionis inuenire oportet: deinde illas compoſitione ſimul iungere: ad ipſam uero definitionem exerendam ordine reſolutiuo quo totum in partes, ex quibus conſtat, reſoluitur, procedemus nam definitionem reſoluere oportebit in ſuas partes, ac ſigilatim eas pertractare quod quomodo fieri debeat ſuo loco monſtrabimus. Ac primus ordo qui compoſitiuus eſt circa definitionem, altero eſt, nempe reſolutiuo, difficilior. quoniam ante definitionem ſupponit nihil, præter definiendā rem: ac partes, ex quibus definitionem oporteat conficere inquirit. quapropter definire haud quaquam intereſt multitudinis: ut Philoſophus magnus Ariſtoteles inquit: ſed eſt doctiorum munus. quandoquidem inuenire ac diſponere definitionis partes laborioſum & dificilimum eſt. quemadmodum in ſecun-

do analiticorum poſteriorum libro plane oſtendit Ariſtoteles. Deinde alter modus & ordo planior et facilior eſt: quippe cum iam inuenta propoſitaq; definitione progrediamur poſtea facilius ad declarandas eius partes. Quod ſane cum facimus, partes iam antea coniunctas & compoſitas reſoluimus ac ſeparamus: eaſq; ſeorſum & ſigillatim declaramus. quemadmodum aperiemus, cum tradenda erit compoſitorum thematū methodus, ad quam proprie ſpectat hic reſolutiuus ordo. Age uero modi atq; ordinis utriuſq; proferamus exempla deprompta ex Ariſtotele. fuit quidem Ariſtoteles precipuus artifex methodi. ut nulla breuior, & dilucidior, magisq; artificioſa methodus inueniatur uſpiam, quam ea quæ ab Ariſtotele obſeruata eſt in ſcribendis libris: utq; maiorem ſibi utilitatem comparare ſtudioſi nō queant, quam ſi diligenter aſſueſiant ad conſuetudinem Ariſtotelicam. proferamus inquam exemplum hoc in loco modi atq; ordinis compoſitiui: nam exēpla reſolutiui ordinis tunc in medium producemus, cum thematum compoſitorum methodum exprimemus. In ſecundo inquam libro Ethicorum, thema eſt moralis uirtus. itaq; primum declarata in fine prioris libri multiplicitate ſeu cōmunitate uirtutis: ac deinde in principio ſecundi libri, cum poſuiſſet moralem uirtutem eſſe, tum ordine compoſitiuo de morali uirtute diſſerit, prius quidem uia diuiſiua &

reſolutiua inueſtigando quibus ex partibus definitio nem uirtutis poſsit conficere. nam quærit imprimis cauſas unde oriantur uirtutes; docetq; illas nobis a natura minime inditas: uerum duntaxat generari eas ex operationibus, non qualibuſcunq;, ſed ſtudioſis. Item declarat uirtutes circa uoluptates & dolores uerſari: quæ omnia exponenda erant ad unguẽ antę uirtutis definitionem, ut eorum exploderetur ſententia, qui arbitrabantur nobis ingeneratas a natura eſſe morales uirtutes: quæ abſurda quidem ſententia, niſi reiecta omnino atq; improbata fuiſſet, cõmmode uirtutis definitio, quam erat Philoſophus probe confecturus, allaturusq; in medium, non quibat afferi & confici. Deinde uirtutis genus inueſtigat: quod neceſſarium eſt unum eorum eſſe, quæ in anima ſint: quandoquidem ſunt proculdubio in anima, quemadmodum in calce ſuperioris libri oſtenderat. Cum autem ea quæ in anima exiſtunt, tria ſint: Affectus, potentia, habitus: & nec affectus, nec potentia ſit uirtus: reliquum erat, ut eſſet habitus. Quare cõcluſit, habitum eſſe uirtutis genus. Deinceps uirtutis differentiam plane demonſtrat, mediocritatem quandam eſſe inter exceſſum & defectum: non quidem rei mediocritatem: Sed reſpectu noſtri: hoceſt non mediocritatem, quæ ad arithmeticam proportionem ſit: quæ profecto apud omnes eadem eſt mediocritas: ſed rationis & ad geo-

metricam proportionem: quæ mediocritas quidem non eadem eſt apud omnes. Tandem inuentis omnibus ad uirtutis definitionem pertinentibus, ea cõponendo totam & abſolutiſsimam uirtutis definitionem confecit. ſic enim concluſit: eſt igitur uirtus habitus electiuus in mediocritate conſiſtens ea, quæ eſt ad nos, definita ratione, atq; ut ipſe definierit prudens. uniuerſum didacticæ methodi ordinem explicabimus nunc, ſi prius quot ſint didacticæ methodi aperuerimus.

QVOT SINT DIDACTICAE METHODI.

Didactica Methodus, quam ſupra unam eſſe in genere aſſeruimus præterquã quod in quinq; ſubiectiuas partes fuit diuiſa, nunc ſecundum themata, illam diuidimus iterum in tres methodos. tres igitur methodi ſunt. una quidem eſt unus tantũ eiuſq; ſimplicis thematis: altera compoſiti alicuius thematis: deniq; tertia multorũ thematũ ordine aliquo tractandorũ. Nam thema, hoceſt id quod tractãdũ proponitur, idq; quod poſitũ eſt in queſtione, duplex eſt: unũ ſimplex ut felicitas, ut natura: alterũ cõpoſitũ, ut felicitas eſt operatio animi ꝑ uirtutẽ in uita pfecta: ut quoq;, natura eſt principiũ motus & quietis eius in quo eſt ꝑ ſe primo, & nõ ꝑ accidens:

intelligimus uero nunc ſimplicitatem, compoſitionemq; thematum, non in rebus omnino, ſed in pronũtiatis & proloquijs, ad res tamen ipſas, quæ per propoſitiones quidem ſignificantur, animum referendo. Itaq; ſedulo dabimus operã, ut de his tribus methodis nihil minus, quam rei utilitas poſtulabit, quæſiſſe & expoſuiſſe uideamur: ſi prius admonuerimus adoleſcentes, ac eorũ magiſtros, ut has tres methodos omni ſtudio & conatu obſeruent in explicandis & probe intelligendis quibuslibet thematibus, ad quamcunq; illa tandem pertineant diſciplinam & artem: Siue illa circa res quæ fiunt a ratione uerſetur ſiue circa res, quæ uere exiſtunt abſq; ullius mentis operatione: ſiue inquam ſpeculatiua, ſiue practica, ſiue actiua, ſiue factiua, ſiue diuinitus reuelata, ſiue ab homine inuenta ſit. Pergamus igitur ad inſtitutum, methodiq; illius quæ profecto ſimplicis eſt cuiuſuis thematis uniuerſum ordinem aperiamus.

DE TOTO SIMPLICIS *thematis ordine.*

PRincipio conſtituendum eſt, quid uox, aut nomen eo propoſitum ut tractetur, atq; adeo ipſum thema ſimplex proprie ſignificet: ac ſi oporteat quidem, per interpretationem explicetur:

ut probe intelligatur, quid ſit id de quo tractatio in ſtituitur. ne forte cum rubore illud nobis contingat quod Anaxagoræ: *de quo* Ariſtoteles *in priore libro de ortu atq; interitu,* Anaxagoras *ſuam, inquit, huiuſce rei propriamq; uocem ignorauit nõ inutile fuerit etiam explicare, quot nominibus appellari ſoleat, id thema quod per tractaturi ſumus.* Deinde *thema uel equiuocũ uel uniuocũ eſt, nullũ enimtertiũ datur. quippe cũ analogum ſit uel equiuocũ. uel uniuocũ propterea cum* Ariſtoteles *in antepredicamentis de uniuocis & equiuocis exactim loqueretur, nullam ſeparatim fecit de analogis mentionem. ſi thema inquam ſit equiuocum explicandum erit diuiſione. porro diuiſionis membra, ſi negocium id poſtulabit, diligenter excutienda fuerint (uel quod corũ membrorum ſit ad propoſitum exprimere cõueniet, de illoq; ſolo diſſerere cæteris quidẽ reiectis in aliud tempus, atq; in alium locum) ſi uniuoca ſint ad methodum & ordinem uniuocorum.* De *quo agemus ilico, ſi prius dixerimus, quo pacto equiuocum accipiamus.* Equiuocum *igitur nunc intelligimus non ſolum nomen commune habens diuerſas rationes & diuerſa prima ſignificata: ſed etiam omne multiplex, & confuſum. ac id preſertim quod ſua communitate artem & diſciplinam excedit: in qua is uerſatur, cui thema explicandum eſt. neceſſario enim reddit animum eius pendulum & ambiguum: quippe cum*

is, quatenus uidelicet de illius diſciplinæ atq; artis limitibus non egrediatur, plane ignoret huiuſmodi nomen habere certam aliquam rationem, & unum primum ſignificatum, perinde atq; ſi eſſet proprie equiuocum. amplior eſt quidem eius communitas, quam ſcientia, in qua is uerſatur. Vnde cum Ariſto teles definiturus uirtutem, ac de uirtutibus tractaturus eſſet copioſiſsime in libris ethicorum, ante omnia diuiſit uirtutem hoc modo in fine primi libri: Virtutum alias intellectiuas, alias morales dicimus eſſe: ſapientiam quidem, & prudentiam, & ſagacitatem, intellectiuas: liberalitatem autem, & temperantiam morales. nam cum de moribus cuiuſpiam loquimur, non ſapientem illum, aut ſagacem: ſed mitem, aut temperantem, dicimus eſſe: laudamus autem & ſapientem ob habitum: At habituũ eos, qui laudabiles ſunt, uirtutes appellare ſolemus. hæc hactenus de uirtutum diuiſione Ariſtoteles. mox proſequitur membra diuiſionis exactiſsime in ſequentibus libris.

Tertio loco, ſi opus fuerit, ſimplex uniuocum thema eſſe plane oſtendemus. ac ſit ne unum uel plura. ut Ariſtoteles de rebus naturalibus diſputaturus ante omnia docet naturalium rerum principia eſſe, & quot ſint, & quæ ſint. proderit etiam locum ſcire ubi exiſtat. & inceperit, ſit ne deſiturum nec ne, ut de motu Ariſtoteles diſputat. quando inceperit: quã

do deſinet: quando inſtitutum fuerit: quandiu perſiſtet ac durabit. qualis nam ſit eius reſiſtentia.

Præterea quarto loco antequam ipſam thematis definitionem exibeamus, partes illas præcipue, ex quibus conficiatur definitio, inuenire oportebit, ut autem ſit luculentior tractatio non ab re fuerit alias etiam quaslibet partes exponere. Ariſtoteles in ſecundo Ethicorum libro definiturus uirtutem genus & differentiam prius inquirit uirtutis: quæ ſunt profecto illius eſſentiales partes. Quandoq; etiam poſt definitionem ſolemus in quas partes ea diſtribuatur manifeſtare, atq; ſedulo partes eas aperire: ſed tunc reſolutiuo utimur ordine compoſitam definitionem reſoluendo in ſuas partes: qui ſane ordo magis ad thema compoſitum, quam ad ſimplex tractãdum pertinet. Sic Ariſtoteles cum animã definiiſſet, partes eius tum ſubiectiuas tum integrales & coſtitutiuas magno ſtudio proſequutus eſt: & primum ſane de uegetatiua: poſtea de ſenſitiua: deinceps de rationali. Ac in tractatu qui eſt de uegetatiua, miro quodam ordine de his facultatibus, quæ ſunt partes uegetatiuæ diſſeruit. Deinde in tractatu, qui eſt de ſenſitiua egit ſimiliter de illius functionibus. tũ uero in tertio libro de inorganicis animæ partibus, de patibili inquã & de agente ipſo intellectu. Ac ĩ illo profecto de anima uolumine oſtẽdit

præcellentiam doctrinæ atq; iudicij Ariſtoteles *uide re in illo quidem eſt methodi expreſſam imaginem. tali enim tamquam mirifico ordine cõfutatis explo ſisq; abſurdis ueterum ſententijs ante oculos poſuit nobis animam, ſubiectiuas animæ partes, facultates, operationes, obiecta, ut deſiderari queat nihil abſo lutius, cum porro uirtutem ipſam itidem in ſecundo ethicorum libro copioſiſſime definijſſet, tum ſubie ctiuas oẽs illius partes diligenter proſequutus eſt.* Quinto *loco faciemus partium collationẽ ordinem ſane compoſitiuum perſequentes. ex qua profecto partium collatione & comparatione incredibilis uti litas conciliatur, & offertur ingens docendi cumu lus, & maxima datur occaſio doctori: is enim cu ius intereſt docere, poterit in huiuſmodi comparatio ne ſummo ſtudio uerſari, & expromere, quomodo in ter ſe differant, quomodo conueniant partes illæ: quid boni, quid ue mali, hæc aut illa contineat, præ ſertim in practicis tum actiuis, tum factiuis.* Ita *ſa ne perfectã & abſolutiſſimã partium uirtutis colla tionem* Ariſtoteles *facit in moralibus. & porphi rius nniuerſalis ipſius quidem partium, nempe gene ris, ſpeciei, differentiæ proprij, & accidentis in li bro, quem ad* Griſaorium *ſcripſit, de quinq; prædica bilibus, comparationem facit uberimam. in philo ſophia etiam naturali, cum ſcire uolumus exempli gratia,* Que *facultas animæ alijs præſtet, aut ne-*

ceßitate, aut utilitate, aut perfectione, aut quouis modo, ſine dubio ex partium facultatumq́; ipſarum animæ collatione illud aſſequimur. Quod peripatetici ſolent diſputatere in ſecundo libro de anima, & in paruis naturalis efficere.

Simplex thema porro ſexto loco definire conueniet: ſi fuerit plane ignotum, quod ad eius naturam & eſſentiam pertinet. ordo autē definitiuus, quo ipſum uidelicet definiemus, compoſitiuus eſt, quia definitionis partes coniungendo ipſam componimus definitionem. uerum tamen definitiuus ordo, qui per cō poſitionem eſt, ad reſolutiuum, ut ſupra dixi, reducendus ideo eſt, quia primo thema reſoluimus in partes ſuas, hoc eſt in conceptus quiditatiuos & qualitatiuos, qui ſunt genera & differentiæ, aut ipſum quidem in ſuas cauſas reſoluimus. deinde illas partes, aut cauſas illas ſimul coniungentes componimus definitionem. cum autem ſupra edocuimus, generatim eſſe duos ordines reſolutiuum & compoſitiuū ad quos reliqui omnes referantur, & quorum neuter ad alterum poßit reduci. de iſto minime loquebamur compoſitiuo, quo per definiti reſolutionem inuentas partes definitionis ſimul copulamus, & componimus definitionem: at de compoſitiuo illo, quo ex cōmunioribus deſcendentes, inferiora tanquam ſubiectiuas partes componimus; ad quem ſanè ordinem ſpectat diuiſiuus ordo: quippe cū ſine diuiſione

haud quaq; ualeamus deſcendere ad inferiora cōpo nēda. Quia ex definito p definitionē, & ex effectu p cauſas emanant pullulantq; paſſiones, & proprietates egrediuntur: tum quia per definitionem & cauſas demonſtrantur paſſiones & proprietates, idcirco ſeptimo loco tractabimus de paſſionibus & proprietatibus thematis definiti, eaſq; de ipſo definito quanta fieri poterit diligentia demonſtrabimus. Quoniam autem ſemper & in omnibus diſciplinis & artibus exactas demonſtrationes afferre non poſſumus, ſatis erit uti talibus, quales materia ſubiecta poſtulabit: aut certe qualibuſcunq; argumētationibus uti nos habuerimus integrum. Vbi demonſtratæ paſſiones & proprietates fuerint de definito per definitionem, aut per cauſas aut quouis modo tum octauo loco erit inquirendum unde thema ducit principium atq; originem. ipſæ inquam erunt cauſæ omni ſtudio inquirendæ, ac plane oſtendēdæ. cauſæ uero ſunt, quemadmodū aiunt dialectici, quas uocant efficientem, formalem, materialem, finalem: nec omnino & ſemper has cauſas accipimus, ut phiſici exponunt. poteſt enim aliquoties formalis cauſa pro rerum tractandarum diſpoſitione atq; ordine ſumi. & finalis pro fine interdum: qui tamen, cum finalis cauſa proprie ſit prior efficiente, ipſe ut expoſuimus antea, poſterior eſt. Ac nimirum eſt fructus, uſus, effectus, deniq; utilitas rei. Materialis autem cauſa intelligenda & ſumenda eſt im-

proprie: non ea profecto ſemper eſt ex qua inexiſtẽte ipſi quidem compoſito, aliquid efficitur: ut dicimus, lignum eſſe materialem cauſam lecticæ: nam in ea, cum fabrefacta fuerit, manet lignum: ex quo ſane illa conficitur. ſed pro ea eſt plerunq; accipienda materia, circa quam uerſatur aliquis artifex: ut lignnm eſſe materialem cauſam dicimus carpentarij: eius enim cura & ſtudium circa ligna eſt, ex quibus opera omnia ſua conficit. ſic Ariſtoteles *cũ in primo de ortu atq; interitu libro definijſſet generationem, illamq; ab alteratione diremiſſet: ac alia multa, quæ neceſſaria uidebantur ad illuſtrandam generationis definitionem diligenter exeruiſſet: ut in priore libro de augumento, de tactu, de actione, de paſsione, de mixtione: deindeq; in poſteriore libro de primarum qualitatum, & elementorum numero: atq; de ipſorum elementorum, & mixtorum generatione: tandem egit de cauſis omnibus tum generationis tum corruptionis.*

Latere autẽ debet neminẽ euenire aliquoties ut minime futurũ ſit inutile ſi cauſarũ collationẽ fecerimus Illud porro neminem præterire opus eſt, aliquando etiam prius quam res definiatur, ſolere cauſas inquiri & oſtendi: cum præcipue compoſitiuum ordinem obſeruamus. Quod Ariſtoteles *fecit in ſecundo ethicorũ. definiturus enim uirtutẽ, prius cauſas eius, unde oriatur, inuenit, quã definitionem exiberet.*

Inuentis porro cauſis, pariter inquirendum & declarandum eſt, ſi quidem oporteat, aut coueniat, Quid occaſionem præſtiterit: quis author & inſtitutor fuerit: Quis promouerit, ac promeruerit: Quis promulgauerit: Quis miniſter ſit: Quæ ſint inſtrumenta quod ſubiectum: quæ exemplaria: quæ figuræ: que poteſtates: & reliqua huiuſmodi complura. Nam huc fere ſpectare uidentur omnia. ex quibus ea oriuntur & proficiſcuntur aliquo modo, quæ ſunt in diſputatione, quæq; tractare opus eſt. Agendum nono loco fuerit de officio, & de uſu rei, de illius fructu, utilitate, deq; (ut uocāt Dialectici) effectu. poterit etiam hic de finali cauſa pertractari: ſi finalē quidem cauſam improprie ſumamus, non pro ea quæ prior eſt efficiente cauſa, quæq; ad efficiendum aliqua ratione mouet: ſed pro fine, qui poſterior eſt omnibus cauſis: ut finalē cauſam quærere, ſit quærere in quem finem, ſiue in quem uſum ea ſit res, de qua loquimur & diſputamus. Ita quidem Ariſtoteles, ubi de partibus & functionibus animæ diſſeruit: ilico aperit qui ſit finis, uſus, & quod etiam ſit officium animæ ad facultates nimirum eius pertinens. Ac etiam in libris ethicornm docet, non tantū quid ſit beatitudo & uirtus: ſed etiā qui ſit fructus nempe ut eius perfecta operitione ſimus beati: in tractando uſu rei, ſi opus fuerit, agemus de perſonis etiam ad quas pertinebit uſus: qua

les nã debeant eſſe, & quali preparatione quibuſq; circunſtantijs uti oporteat. quomodo facienda ſit rei applicatio, ut perſonæ, quibus res applicatur & communicatur ſint finis, effectus, fructus, utilitatis, participes, & compotes.

Decimo loco, *ſi conuenire id quidem uidebitur, explicabimus, qua ratione, quo ue ordine, ipſa res quæ tractanda in manibus eſt, oriatur, fiat, procedat, perficiatur, quemadmodum* Ariſtoteles *in libris de ortu atq; interitu luculenter diſputat, quomodo & qua ratione fiant accretiones, mixtiones, & generationes, primum quidem ſimplicium elementorum, deinde mixtorum.*

V*ndecimus locus eſt, ut omnẽ adhibemus induſtriã, ad uidendum & plane oſtendendum, quæ ſint contraria themati: pariterq; ſi res id poſtulet, ad illa eadẽ refutandum. nam contrariorum cognitio & improbatio ſatis ſuperq; ad rem probe cognoſcendam conducit. & hoc* Ariſtoteles *quidem fere ubiq; diligentiſsime obſeruauit, cum in naturali, tum in morali philoſophia, imo iuxta illius doctrinam id uerſari omnibus debet perpetuo ante oculos, cum aliquid fuerit pertractandum, ad eandem omnino diſciplinam pertinere ipſum thema, & quæ themati ſint contraria.*

P*oſtremo aduerſariorum noſtrorum errores atq; argumenta, ſi quæ pugnantia ſint cũ ijs, quæ a nobis*

dicta fuerunt in pertractando themate, cũ recenſere tum refutare oportebit accurate. ne quid ſuperſit, quod cauſæ noſtræ ulla ex parte queat obeſſe, aut quod ullo modo tractationem, & diſputationem, quã thema ipſum dilucidauimus atq; illuſtrauimus, quoad eius fieri potuit, obſcurare poßit: alioqui fruſtra laboratum eſſet. cognita enim ueritate facilius ea, quæ ueritatem oppugnant, reijciuntur & confutantur. Quanquam Ariſtoteles, *quod nos faciendum nouißimo* loco *dicimus, hoc primo loco fere ſemper agit. ſolet enim in primis alienas & abſurdas opiniones recitare atq; refellere: poſtea uero ad ſententiam ſuam omnem thematis enarrationem & diſputationem accommodare.* Noſq; *integrum ſimiliter habuerimus facere, ſi prodeſſe id nobis & cauſæ noſtræ uidebitur: & in hac re ipſum* Ariſtotelem *præcipuum atq; præſtantem methodi artificem imitari: ac porro ſi, cum uniuerſum expleuerimus negocium, aliqua ſupererint argumenta, quæ officere aliqua ex parte uideantur ijs, quæ antea diſſeruimus, non inutile fuerit ea ultimo loco diſſoluere. quod ſane peripateticis diſputatoribus adeo placuit inſeditq; animo, ut omnes propemodum illud in quæſtionibus, & diſputationibus ſuis omnino præſtent, obſeruentq; diligenter.*

Quoniam demonſtratum eſt, qua ratione, quodlibet ſimplex thema pertractari conueniret: nunc, ut

ſtudioſi facile queant ad huiuſmodi rationem quodcunq; diſputare, atq; diſſerere uoluerint, accõmodare: unum aliquod thema exactiſſime ad hanc methodi rationem, quam edocuimus, pertractare operepræcium eſſet, exempli gratia. ſed tractatio hæc de didactica Methodo, *ſatis copioſum & ualde commodum exemplum eſt, nam diſſerimus de methodo ſeruatis methodi præceptionibus. huius enim totius tractationis noſtræ ſimplex thema eſt, methodus.*

DE VNIVERSO THEMA*tis compoſiti ordine.*

SIMPLICIS *thematis methodum ordinemq; aperuimus: deinceps ordinem thematis compoſiti, quantum par fuerit explicabo, cõueniret autem, ut prius omni ſtudio plane oſtenderemus: (ut omnino quæ themata ſint cõpoſita, quæq; ſimplicia conſpicuum haberemus, & magis exploratum) Quæ themata ſint compoſita, quotq; ſint cõpoſitorum thematum genera: & eorum, quæ ſint prima principia, uel omnium quidem ſcientiarum communia, uel certe aliquarum:* Deinde *quæ unius tantũ ſcientiæ atq; artis & diſciplinæ propria ſint: uel duntaxat unius definitæ concluſionis: Quæ porro ſint* Axiomata, *quæ dignitates, quæ pronuntiata, quæ proloquia, quæ poſtulationes, quæ demõ*

ſtratiuæ propoſitiones, quæ per ſe notæ, quæ nullius egeant medij enuntiationes. Mos aperiendum eſſet, quæ dubitabiles quidem ſint propoſitiones, et queſtiones: quæ ue ſint media inter has & prima principia: quæ cathegoricæ, hypoteticæ, modales, quæ ſine modo conficiantur: quæ affirmatiuæ, & negatiuæ: quæ uniuerſales, particulares, indefinitæ, ſingulares: quæ contrariæ, ſubcontrariæ, contradictoriæ, ſubalternæ: quæ neceſſariæ, contingentes, poßibiles, impoßibiles, ueræ, falſæ, neutræ, inſolubiles, obligantes, & ſe ipſas interimentes. earum quoq; oporteret exprimere conuerſiones, leges, canones. præterea eſſent explicandæ omnes argumentationum ſpecies: enthimema inquam, syllogiſmus, inductio, & exemplum: quamq; illis uarie utantur Dialectici, *&* Rethores: *tum philoſophi, ac oratores: & morales, & ciuiles diſciplinæ: atq; aliæ omnino artes ac ſcientiæ.* Deinde *operæpræcium eſſet declarare, qui demonſtratiui syllogiſmi, qui thopici, qui ſophiſtici ac litigioſi, qui cathegorici, qui demq; hipotetici ſint. inſuper conueniret manifeſtare quæ ſint, appellenturq; demonſtrationes a ſigno: quæ afferant cauſam tantum, quæ præter cauſam ipſum etiam rei eſſe contribuant, quæ porro ſint, ac uocentur propter quid, quæ a priori, quæ ſimpliciter, quæ potißime, quæ a poſteriori, & quia, & ab effectibus: quæ uniuerſales, particulares af-*

firmatiuæ, negatiuæ, oſtenſiuæ, ducentes ad impoſſibile. Quas regulas in componendis argumentationibus oporteat obſeruare. qui ſint Rethorici, *qui ſint* Dialectici *loci. tum in quibus perinde atq; in ſedibus proprijs fundare couueniat argumenta.* Deinde *quas fraudes & impoſturas cauere debeamus fallacium ſophiſtarum. Ac præter ſpecies argumentationum, reliquos porro etiã modos ſciendi aperire, definitiones inquam, & diuiſiones prodeſſet uehemẽter. neq; omnino eſſet inutile ante omnia edocere uniuerſalia, prædicamenta, & ſimplicia omnia ex quibus enuntiationes, & omnia orationum genera conficiuntur. Sed quoniam præſtantiſſimi & clariſſimi uiri, atq; Ariſtoteles imprimis tum in* Rethoricis, *tum in* Dialecticis *& logicis diſciplinis, hæc omnia & multo alia plura edocuerunt uberrime, cumulateq́; diſſeruerunt: tum quia initio nos plane admonuimus didacticam methodum præſupponere* Dialecticam *&* Rethoricam, *propterea ego in præſentia hoc tanto ſcribendi labore ſuperſedebo: ac paucißimis & ſummatim quidem compoſitorum thema tum ipſam methodum & ordinem exibebo conſtitutis hoc loco his omnibus, ac ſi diligenter explicata eſſent a nobis. Cum thema compoſitum pertractandum a nobis fuerit, tum primo in terminos hoc eſt in uoces & nomina ex quibus componitur ipſum reſoluentes, declarare ipſius terminus conueniet: idq;*

ſane iuxta methodum & ordinem ſimplicium thematum facere oportebit: ſed modeſte, ac breuiter, ne ſimplicia omnino themata explicare uideamur, ac non potius in thematis cõpoſiti pertractatione uerſari. hinc fit, ut cum thema ſimplex ordine compoſitiuo proprie diſſeratur, & compoſitum ordine reſolutiuo, doctiſsimi uiri ac in primis Ariſtoteles, in eadem certi alicuius thematis pertractatione utroq; ordine compoſitiuo & reſolutiuo unantur ac procedant. Secundo loco, proprium & genuinum ſenſum thematis exprimemus. Tertio loco, ſenſum illum non peregrinum, non alienum, ſed germanum & conſonũ themati eſſe diligenter probabimus. Quarto, ſi opus erit, confirmabimus, quoad eius fieri poterit, ipſum thema fortiſsimis argumentis cum Dialecticis & rethoricis, tum demonſtatiuis quantũ uidelicet ſubiectamateria poſtulabit nam ſenſu thematis cognito ſtatim expectat animus auditoris aut lectoris, ex qua re, quibuſq; rationibus ipſum confirmari poſsit: & quibus nitatur fundamẽtis, quocirca ubi ſenſum explicauerimus, & pariter ſenſus cõgruitatem probauerimus, continuo firmam aliquam neceſſe erit inferre argumentationem. Vt porro etiam ordine aliquo utili & laudabili proferantur & collocentur argumenta, eorum diſpoſitionem huiuſmodi habere conueniet, ut cum in principio, tum in fine ponantur ea, quæ ſint fortiora, ſed cætera quæ debiliora quidẽ uidebuntur, in medio. hæc enim

argumentorum diſpoſitio, ſi quando in ſcholis, dimicabimus, & in literaria omnino quidem paleſtra luctabimur & pugnabimus, tanquam inſtructio militum facilime in dicendo & diſputando, ſicut illa in pugnando, parare poterit uictoriam contra aduerſarios noſtros, & perſuaſionem, & ſcientiam in animis auditorum & lectorum. Quinto ſententias aduerſariorum noſtrorum incōmodas & abſurdas pugnantes cum noſtra ſimilibus argumentis quatenus cauſa, themaq; ipſum efflagitauerit omni ſtudio reijciemus eo ſane ordine, quem paulo ante diximus in confirmatione obſeruandum eſſe. Deniq; illorum, ſi qua fuerint ſoluemus argumenta.

Ad hunc tractandorum thematum compoſitorum ordinem multa per ſe quibunt ſtudioſi adoleſcētes exēpla accōmodare, atq; aſſiduo exercitio ad didacticā methodum aſſuefieri. nos tamen ex ariſtotele unum atq; alterum exemplum recitabimus, ut facile uideant omnes, q̄uo tantus philoſophus themata cōpoſita & peculiariter rerū definitiones ordine reſolutiuo tractauerit. Ariſtoteles igitur in ethicorum libris de felicitate agēs, ipſius definitionē, quæ thema erat cōpoſitū, ordine reſolutiuo p tractauit, a sūmo quidē bono, atq; adeo ab ipſa felicitate exorditur: ac de illa primo cōfuſim & cōmuniter diſſerit, nos paulatim ad eius definitionē præparando: ad quam nos iubet æque intueri ſedulo, ac ſagittarios ad ſcopum.

Deinde cum ex comunibus felicitatem definiuit, eius affert ex proprijs definitionem ordine compoſitiuo: cuius partes deinceps reſoluit accuratiſsime. ut ex huiuſmodi reſolutione magis magiſq; nobis perſpicua reddatur felicitatis definitio, atq; per explicatam definitionem ipſa felicitas cognoſcatur eſſentia liter. ac facile uideri poteſt hoc Ariſtotelis exemplo compoſitiuum ordinem reſolutiuum precedere: hoc certe natura poſtulat, ut definiti prius definitionem inueniamus, quod ordine cōpoſitiuo fit: porro definitionem pertractemus, quod reſolutiuo fieri debet ordine. partes autem, quibusfelicitatis definitio componitur, ſunt operatio, & uirtus: propterea quod felicitas operatio ſit ad uirtutis inclinationē: Ac proinde quales, & quæ ſint operationes declarat. poſtea uirtutes ipſas in intellectiuas & morales diuidendo, ac de intellectiuis quidem, cum paucula quædam generatim libauit in primo libro, deinceps in ſecundo agit de morali uirtute, illam ſane primum definiendo: & ſubiectiuas eius partes mox recenſendo breuiter, & quidē generatim: ut demonſtret uirtutis definitionē recte ad ſubiectiuas omnes partes accommodari: quas porro partes, cum ſigillatim, tum copioſius in tertio, quarto, & quinto explicat. cæterum quia in ipſius felicitatis definitione facta erat mentio electionis, quæ a uoluntate oritur, idcirco in tertio prius quam aggrediatur ſingu

las enarrare uirtutes, cũ primũ omnes cõnumerauit, in principio tertij declarat, quid ſit uolũtariũ, & in uoluntariũ & electio, & alia quæ oriebantur ex his non nulla. quod ubi omni adhibito ſtudio præſtitit, ilico tranſit ad ſingulas particulariter aperiendas uirtutes. Deinde *agit in ſexto de uirtutibus intellectiuis copioſiſſime.* De *ijs præterea in ſeptimo uber rime diſſerit, quæ cum neq; uirtutes, neq; uicia ſint, tamen uidentur eſſe talia, quæ ſint uirtutes & uicia. Quoniam porro ciuilis & actiua felicitas non poteſt eſſe omnino abſq; bonis externis, quorũ pars magna & præcipua ſunt amici: idcirco in octauo & nono de amicitia ſermonẽ facit: quia deniq; perfectas uirtutum operationes incredibilis quædam cõſequitur delectatio & uoluptas, propterea in decimo de illa cumulate diſſerit. quibus omnibus abundanter explicatis, fit admodum perſpicua felicitatis definitio, ipſaq; felicitas mirum in modum illuſtrata eſt. de qua in eodem libro decimo copioſius agit, ſingulari quidem artificio actiuam felicitatẽ a contemplatiua & ſpeculatiua pro utrius libet dignitate ſecernens, & extremam libris ethicorum manum feliciſſime imponens.*

Idem *quoq;* Ariſtoteles *ordine reſolutiuo utitur in libris* Phiſicarum *aſcultationum: cum enim in ſecundo naturã definijſſet: nempe quod ſit cauſa & principium motus & quietis eius in quo eſt primo, per*

ſe, & non per accidens: eam porro in ſequentibus libris definitionem reſoluit: ac prius quidem motum definiuit, qui ponitur in illa naturæ ipſius definitione. Quoniam porro motus concludit & cõtinet ratione quadam tempus, & continuum, & huiuſmodi reliqua: propterea omnia illa definit poſterius, & ad unguem declarat: ut exactiſſime aperiatur naturæ definitio, atq; ipſa natura omnino illuſtretur: hactenus methodum ordinemq; ſimplicium & compoſitorum thematum exibuimus. reſtat ut ad ordinem multorum tractandorum thematum deinceps transeamus.

DE VNIVERSO MVLTORVM *tractandorum thematum ordine.*

CVM *plura themata ordinem inter ſe requirentia fuerint a nobis tractanda, omnino danda erit opera, ut in eorum tractatione omni diligentia ordinem illum obſeruemus, quem ea poſtulabũt: ne forte fortuna quadrent in nos, quæ uenuſinus* Horatius *ad* Piones *ita ſcribit in arte poetica.*

Inceptis grauibus plerunq; & magna profeſſis
Purpureus late, qui ſplendent, unus & alter
Adſuitur pannus: cum lucus, & Ara Dianæ,
Et properãtis aquæ per amænos ambitus agros,
Aut flumen Rhenũ, *aut pluuius deſcribitur arcus.*
Sed nunc nõ erat his locus: & fortaſſe cupreſſum

Scis ſimulare. quid hoc? ſi fractis enatat expes
Nauibus ære dato qui pingitur? Amphora cæpit
Inſtitui currente rota, cururceus exit?

Curandum igitur eſt, ut omnia themata decenter lo co ſuo tractentur iuxta. Horatianum *illud memorabile præceptum & documentum:*

Singula quæq; loum teneant ſortita decenter.

SCiendum uero eſt, nunc minime conſiderandũ eſſe illum ordinem, quo procedi ſolet a minus cõmunibus ad cõmuniora, uel certe a cõmunioribus ad minus cõmunia ſecundum prædicationem: neq; ordinem illum, qui fit a partibus ad totum, uel ſane a toto ad partes: neq; alios ordines, qui non proprie ad multorum tractandorum thematum ſed unius didacticam ad methodum pertineant ordo autem ille ante oculos perpetuo uerſari debet: quo progredimur ab uniuerſalibus, aut a particularibus tum ſecundum exiſtentiam, tun ſecundum præſuppoſitionem intellectus noſtri.

PROCEDENDVM ESSE *a notioribus.*

COmmunis enim doctiſſimorũ quorumq; hominũ ſententia & conſenſus eſt: cũ plura themata certum aliquẽ ordinẽ inter ſe habentia ſint explicanda, oportere ab ijs proficiſci: quæ nobis manifeſtiora, magiſq; in promptu, ad ea quæ aut plane ignota ſint

nobis: aut minus quidem nota, & magis recondita: etiam ſi multo illa in ſe, aut natura, & ſimpliciter magis reliquis omnibus intelligibilia ſint. Cuiuſmodi exiſtunt eæ præclariſſimæ atq; nobiliſsimæ ſubſtantiæ, quæ prorſus nullum habent commertium cũ materia iſta rerum, quæ oriuntur atq; intereunt.

QVAE SINT NOTIORA, *& quæ nota minus.*

ESSE *porro aliqua nobis magis manifeſta, quam naturæ & ſimpliciter, quamq; ſint omnino illa in ſe ipſis, debet nemini eſſe dubium. ita quidem ſe habent regulariter effectus, præ cauſis ſuis: contra uero aliqua eſſe magis nota in ſe & ſimpliciter, quã nobis; ut propemodũ ſemp̃ cauſas, latere debet nemině: atq; illa præcipue omniũ, quæ nõ ratione tantũ ſe iungũtur a materia: ut quæ mathematici abſtrahũt: uerũ etiã reipſa: ut quæ uocari ſolent a methaphiſicis intelligentiæ. tum uero ſcire operæpræcium eſt, aliquã nobis omnino æquo nota eſſe, ac ſimpliciter. cuiuſmodi ſunt cauſæ, ſi quando illæ ſuis effectibus magis materiatæ, magiſq; ſenſiles exiſtant. ut colores, cum ſint effectrices cauſæ ſpecierum ſuarum ſenſilium, utpote quas in diaphanum & perlucidũ medium lumine quidem præparatum effundant aſsidue: tamen ſunt illis etiam*

magis ſenſiles, magiſq; materiati: ac proinde ſunt nobis æquæ manifeſti, ac in ſe, & natura, & ſimpliciter.

DVPLICEM ESSE PLVRIVM tractandorum thæmatum ordinem.

INSVPER annotatione dignum eſt: omnino eſſe in tractandis pluribus thematibus duplicem procedendi ordinem. Ac unus ille quidem eſt, cũ modus, & ratio, uiaq; illa obſeruatur: quæ aptior, & habilior, magiſq; idonea ſit ad facillime conſequendam rerum ſcientiam: pariterq; ad perſpicue illam ipſam alijs tradendam & cõmunicandam: quã nos multis laboribus, uigilijs, & ſtudijs cognitionẽ rerum conquiſiuimus. ac iſte ordo ab inſtitutione artis ac methodi proficiſcitur. Deinde ordo alter is eſt: qui talis omnino ſit, non qualem ad planius & facilius percipiendas res mens noſtra uelit ac deſideret: ſed qualem ipſa re uera & naturaliter habent inter ſe, quæ uerſantur in manibus diſſerenda themata. hunc uero ad rerum ordinem accommodamus: ut res prior prius tractetur: poſterior autem poſterius. qua profecto in re, minime curamus, quid ſit notius, quid minus notum, aut nobis, aut ſimpliciter. hos duos procedendi ordines indicauit Ariſtoteles in quinto diuinæ philoſophiæ. nam eo in libro,

cum de principio loqueretur. dixit. Aliud principiũ *eſt illud, unde quodq; optime fiat, ut doctrinæ : nõ a primo ac rei principio aliquando inchoandum eſt: ſed unde quis facilius diſcat.*

Itaq; *ſi primum ordinem ſequamur, qui doctrinæ or do eſt : ad ea progredi ſemper expediet : quæ nobis aut prorſus ignota ſint, aut magis abſtruſa & recon dita ; ex manifeſtioribus nobis : ſiue talia cõmunio ra ſint. ſiue minus cõmunia: ſiue porro talia etiam ſint manifeſtiora in ſe, & ſimpliciter : ſiue nobis : ſiue pariter nobis & ſimpliciter.* Mathematici *qui dẽ ſolent ab ijs proficiſci : quæ ſunt æque nobis atq; ſimpliciter cognita : quod regulariter & proprie non faciunt alij reliquarum ſciẽtiarum tractatores. qui tamen ; ſi res accurate, ut cõuenit, doceant, paſ ſim & ubiq; omnes perpetuo a notioribus nobis pro cedunt : ſiue notiora illa quidem ſint natura & ſim pliciter : ſiue id minus.*

Quod *uero ad alterum ordinem ſpectat ; qui naturæ adeoq; rerum ordo eſt; non doctrinæ : omnino proce dendum eſt a prioribus ; & uniuerſalioribus; & ma gis cõmunibus: qui ſane ordo, quoniam, ut dixi, ordo eſt rerum & naturæ : ſi quidem a planioribus, & facilioribus pro ſcientijs rerum adipiſcendis perpe tuo eſſet, illum ſemper expediret diligenter obſer uare.* Quod *ſi faceremus, nequaquam obtingeret nos idem ſæpius repetere.* Ac *demõſtrationes pro*

culdubio ex primis & immediatis conficerentur. At quoniā plerumq; uſu uenit, ut cōmuniora & priora naturaliter, ſint obſcuriora et difficiliora nobis, propterea neceſſarium eſt, crebro miſſum facere hunc rerum & naturæ ordinem: atq; ab ijs exordiri & incipere, quæ ſint nobis planiora & captu faciliora. quamuis natura & ſimpliciter poſteriora ſint. Quemadmodum tractauit Ariſtoteles prius de animalibus, quam de plantis: quæ tamen ſunt naturaliter priores, & communiores animalibus. qua de re poſterius dicam.

DOCTORES NON PROCEdere ſemper ex uniuerſalibus ad particularia.

Ex his quæ diſſeruimus liquet, præſtantiſſimos & doctiſſimos uiros in pluribus exponendis thematibus haud quaquam ſemper a communibus & uniuerſalibus proficiſci ad particularia. magnus quidem Philoſophus Ariſtoteles prius de animalibus tractauit quam de plantis, priuſq; de plantis quam de anima, cum anima tamen ſit plantis communior: & plantæ omnino ſint animalibus uniuerſaliores: quandoquidem animam cum plantæ tum animali a communem habent: Deinde plantæ ob uegetatiuam communes

uidentur eſſe omnibus animantibus ac uiuentibus. Præterea quoq; in ſecundo libro de anima, cum de ſenſibus tractaret idem Ariſtoteles egit prius de uiſu, qui tactu poſterior eſt, minuſq; uniuerſalis, quod ſane ad naturam pertinet, nam primus omnium ſenſuum tactus eſt, qui cõmunis eſt omnibus animalibus, cum tamen in ſolis perfectis animantibus uiſus habeatur. itaq; miſſo plerumq;, ut antedixi, rerũ ordine, qui naturalis eſt, cum ſequimur ordinem, qui ſit magis appoſitus, & magis commodus ad rerum ſcientiam acquirendam, etiam ſi ab uniuerſalibus minime ſit ad particularia. quem doctrinæ ordinem merito appellari diximus.

RARVM ESSE PROGRESSVM *ab uniuerſalibus ſecundum predicationem.*

PROBE *docuimus antea minime procedendum eſſe ab ijs quæ prædicatione ſint cõmunia in multis, quæ ordinem inter ſe habeant, pertractandis thematibus: uerum ab uniuerſalioribus ſecundum exiſtentiam & cauſationẽ & mentis præſuppoſitionem. quod in toto Ariſtotelicæ philoſophiæ progreſſu facile quidem eſt uidere quem paulo poſt recenſebimus. hinc fit, ut cũ Ariſtoteles in Methaphiſica ens, per ſubſtantiam & accidens diuiſiſſet, non ab ente (quod ſine dubio cõmunius prædi-*

catum eſt omnibus, quæcunq; de alijs enuntiantur) neq; a proprietatibus, & paßionibus entis inciperet: ut ex entis cognitione ad ſubſtantiæ atq; accidẽtis cognitionem tranſiremus & duceremur: ſed potius a ſubſtantia, quæ uniuerſalior & prior eſt eſſẽtia & cauſatione: atq;, ut Ariſtoteles inquit, cognitione, definitione, tempore, ac natura: incæpit. & a ſubſtantia porro ad tractandum de accidente diſertißime proceßit. in quarto enim libro Metaphiſices ait: Patet igitur unius eſſe, & entia ut entia ſpeculari: ubiq; autem proprie, primi & exquo cætera pendent, & propter quod dicuntur, ſcientia: quod ſi hoc ſubſtantia eſt, oportet profecto, ut ſubſtantiarum principia, ex cauſas philoſophus habeat. præterea in ſeptimo eiuſdem primæ Philoſophiæ inquit a ſubſtantia eſſe incipiendum: & porro in duodecimo conſtanter idem affirmat. Maxime tamen dignum eſt annotatione: aliquando etiã contingere, ſed raro id quidem, ut uniuerſale, a quo proficiſcimur, de illis uniuoce aut analogice quidẽ enuntiari, ad quæ fiat progreßus: ut in ſecundo phiſicarum auſcultationum perſpicuum eſt apud Ariſtotelem, de natura, deq; materia & forma, quæ ſunt naturæ ſubiectiuæ partes. Hoc ipſum *autem quod raro fit, minime accipi debet pro canone in conſtituenda methodo. talis enim progreſſus non proprie ac regulariter ad ordinem & Methodum ſpectat*

multorum thematum: ſed potius ad eam quæ ſit unius thematis.

ARISTOTELEM IN TRACTANdis multis thematibus Methodum & ordinem doctrinæ obſeruauiſſe.

HVNC *ordinem doctrinæ, qui ex uniuerſalibus eſt ad particularia, obſeruauit, quoad eius fieri potuit, Ariſtoteles in ſcribendis libris ſuis, in quibus multa themata, quæ ordinem inter ſe haberent, ſedulo pertractabat. age uero nos Ariſtotelicam obſeruationem & conſuetudinem in libris totius naturalis philoſophiæ diligenter conſideremus. uniuerſa enim illa phyſiologiæ tractatio eſt præcipuum exemplar, & expreſſa quædam huius methodi & ordinis imago. ſcire autem operæprecium eſt, aliquando etiam coactum eſſe a minus uniuerſalibus Ariſtotelem ad uniuerſaliora & magis communia proficiſci. ut paulo ante indicaui. Propterea quod tunc magis, in promptu eſſent, manifeſtioraq; nobis minus uniuerſalia: quamuis illud præter naturam eueniat. Quomodo autem Ariſtoteles præcipuum doctrinæ ordinem a ſe quidem in tradenda uniuerſa phyſiologia obſeruandum, expoſuerit: qui pariter in omnibus tradendis artibus & diſciplinis obſeruari debeat: plane oſtendamus. In*

prohemio

probemio ille inquam phiſicarum auſcultationum præparans animos auditorum & lectorum ad uniuerſam phiſiologiã ita inquit. Cum circa omnes doctrinas, quarum ſunt principia, uel cauſæ, uel elementa, ex horum perceptione cognitio fiat, atq; ſcientia (tunc enim unamquamq; rem ſcire putamus, cum cauſas primas, principiaq; prima, & uſq; ad elemẽta cognoſcimus.) patet & ea, quæ ad principia naturalis ſcientiæ pertinent, enitendum eſſe prius determinare. Hæc autem inſita natura nobis eſt uia, ut e notioribus nobis, magiſq; manifeſtis, ad notiora naturæ magiſq; manifeſta proficiſcamur. non enim ſunt eadem nobis atq; ſimpliciter nota. Quapropter hoc modo ex hiſce, quæ naturæ quidem minus ſunt manifeſta, nobis autem notiora, ad ea quæ dilucidiora ſunt magiſq; nota naturæ profiſcamur neceſſe eſt: At confuſa primo nota nobis ſunt magis, ac manifeſta, elementa uero principiaq; poſterius ex hiſce nota per ipſorum diuiſionem fieri ſolent. iccirco ex uniuerſalibus ad ſingularia proficiſcamur oportet: ipſum nanq; totum ſenſu notius eſt: uniuerſale uero totum eſt quoddã: quippe cum multa complectatur ut partes: ſic etiã & nomina quoddam modo ſe ſe habent ad definitionem: totum enim quoddam, indiſtinctumq; ſignificant, ceu circulus. Pueri quoq; primum quidem uiros omnes patres, mulieres quas uis matres appel-

lant: poſterius autem horũ utrunq; diſcernere, diſtin guereq; uidentur. hactenus Ariſtoteles.

ARISTOTELICVM PROHEMIVM *naturalis philoſophiæ exponitur.*

VT *facilius & commodius intelligant omnes & percipiant, quæ ſummus philoſophus Ariſtoteles in hoc memorabili naturalis philoſophiæ prohemio de modo atq; ordinæ doctrinæ uberrime & pulcherrimæ diſſeruit: explicare ipſum Ariſtotelicum prohemium aliquanto planius conuenit. (quantum ad rem noſtram pertinet) in eo quidem fere magna ex parte hanc methodum expoſuit quã alibi etiam ſubindicauit, ut in primo analiticorum poſteriorum. Itaq; nobis tres memoratu digniſſimas proponit ſtudioſe cogitandas, & ediſcendas concluſiones. Quarum ſane prima eſt: Principia eſſe ante omnia declaranda & patefacienda, quam eo probat: quod in omnibus diſciplinis atq; artibus & ſciẽtijs, illa in primis exponenda ſint, a quibus rerum intelligentia & cognitio pendent. cum ex principijs igitur naturalium rerum bene apprehenſis naturalem philoſophiam probe aſſequamur: quandoquidẽ tunc unamquamq; rem ſcire exiſtimamus, cum adepti principiorum notionem fuimus: propterea fit ut a declaratione principiorum exordiri oporteat.*

Deinde alteram hanc profert concluſionem: Hæc inſita nobis natura eſt uia, ut e notioribus nobis, magisq; manifeſtis ad notiora naturæ, magiſq; manifeſta proficiſcamur. Hanc uero ipſam cōcluſionem ita confirmat: Quia cum non eadem ſint nobis, & ſimpliciter nota: idcirco a notioribus nobis incipiendum eſt: ut ea, quæ ſint naturæ ac ſimpliciter notiora, nobis aperiantur. namquæ naturæ ſimpliciterq; notiora ſint, ea proculdubio nobis ignota eſſe conſtat liquido: ut probe dixit Ariſtoteles: ea ſe ſe ad mentem noſtram habere, quæ naturæ ſint clariora, & illuſtriora, manifeſtioraq;, perinde ac radios & lumen ſolis ad noctuarum oculos. Quoniā autem quis facile poſſet dubitare ac pariter inquirere: quæ ſint nobis manifeſtiora, quæ ue ſimpliciter ac naturæ magis nota? propterea huic tacitæ queſtioni prudenter occurrens Clariſſimus philoſophus Ariſtoteles, docet confuſa uel cōpoſita, ideſt effectus, qui ſunt confuſi & compoſiti, primo eſſe nobis magis nota magisq; manifeſta: elementa uero principiaq;, & omnino cauſas, quæ ſunt profecto ſimpliciores, ex his uidelicet effectibus, per ipſorum inquam diuiſionē & reſolutionem patefieri ſolere, atq; manifeſtari. Ac iſta quidem eo tendunt, ut ſecunda concluſio diligenter explicetur, ſitq; admodum perſpicua. Deniq; tertia concluſio: ex uniuerſalibus ad particularia & minus communia proce-

dendum eſſe. quandoquidem uniuerſaliora & cōmu-niora ſunt magis nota, quanuis etiam ſint confuſiora. Quod tribus allatis in medium ſignis probat: quorum unum de toto ſenſili eſt, ac eius partibus: Alterum de definito, deq; ipſius definitione. tertiū de omnibus in uniuerſum uiris & feminis: deq; ſingulis & certis hominibus. Quibus profecto ſignis & exemplis docet, priora ſemper, & quanuis ratione communiora & uniuerſaliora nobis prius cognoſcenda tanquam faciliora obuiare: ſeſeq; obtutui noſtro imprimis obijcere. itaq; ad primum exemplum & ſignum ut ueniamus, totum ſenſile omnino ſenſu prius percipitur, quam partes diuiſim & ſigilatim apprehendatur: magis uniuerſale igitur prius ab intellectu, quam ea quæ ſint minus uniuerſalia, comprehenditur. minus quidem uniuerſalia cōmunior partes quædam ſunt. uniuerſalius enim totum quoddam eſt aliquo modo particularia ſua concludens et continens omnia. Deinde ad particularia ſe ſe habent uniuerſalia perinde ut definitum ad ſuam definitionem. igitur cum definitū ſit aliqua ratione manifeſtius & notius definitione ſua (prius enim quid per definitum ſignificetur inquirimus, quam proferamus definitionem) neceſſe eſt confiteri, uniuerſalia noticra & manifeſtiora eſſe particularibus. Deniq; pueri primum quidem uiros omnes patres, mulieres quaſuis matres appellant: ac utrunq; horum

poſterius diſcernere & diſtinguere uidentur: naturalis ergo & quotidiana experientia docet ab uniuerſalibus procodendum eſſe ad particularia.

DE VERITATE ARISTOTELICArum trium concluſionum.

ANnotare hoc loco addecet maxime: neq; alteram concluſionem perpetuo eſſe ueram: neq; tertiam: ac proinde non ſemper eas oportere nos obſeruare & ſequi præceptiones & documēta: plurima enim quæ in ſe, naturæ, ſimpliciterq; ſint manifeſtiſſima: ea nobis quoq; ſunt manifeſtiſſima & notiſſima, quemadmodum antea docui: ac tum illa ſunt eadem nobis atq; ſimpliciter nota neq; ſemper uniuerſalia nobis particularibus notiora ſunt: ac proinde non ſemper ex uniuerſalibus ut ad particularia & minus uniuerſalia progrediamur opus eſt. fit ſane aliquando, ut minus uniuerſalia nobis manifeſtiora ſint. Ac iſta de cauſa præſtantiſſimus artifex methodi Ariſtoteles, omiſſa tertiæ concluſionis regula prius de animalibus tractauit quam de plantis: atq; alias regulam eandem ſæpe omiſit: quemadmodum ante dixi, Duæ igitur illæ concluſiones, ſicut multæ aliæ frequenter minime ſunt ita accipiendæ in philoſophia ut ubiq; immutabiliter ac perpetuo ſint ueræ. In naturalibus enim artificio-

ſisq; rebus in continua mutabilitate uerſantur, omnia: & cum generationi, tum corruptioni ſunt obnoxia: & paruo negocio quo minus eueniant prope diri queunt. cæterum eo ab Ariſtotele in hoc prohemio afferunt, atq; in methodo tanquam regulæ & canones accipiuntur: quia plerunq; ſunt ueræ: ac obſeruandæ plerunq;. ſed aliquando tamen euenit, ut ſequi eas non debeamus præceptiones. idcirco neceſſe eſt: ut is doctrina & iudicio præſtet, qui docere alios uelit, ac uerſari aliqua cum laude, & utilitate in Didactica Methodo.

DE DVOBVS MODIS PHILOSOPHANDI.

VT *quæ diximus planiora efficiamus, opus eſt intelligere, docuiſſe Ariſtotelem duos modos Philoſophandi, & inueniendæ ueritatis admodum inter ſe diuerſos & differentes. quorum unus a cauſis incipiens rei, proficiſcitur ad rem ipſam: hoc eſt ad ultimum finem: ſiue id cauſatum, ſiue effectum appellare maluerimus. Alter autem a nouiſſimo initians fine, atq; a re ipſa, quæ ſub aſpectum & ſenſum cadit ad illius perueſtigandas cauſas nititur aſcendere. Ac primo philoſophandi modo ueteres philoſophi utebantur: prius enim illi cauſas et modos faciendæ rei, & generationis ipſius rei pro*

ponebant: deinde circa iam genitam & effectam rem illius cauſas perſcrutabantur. hunc philoſophā di modum improbauit Ariſtoteles: atq; alterum ſequi maluit. ut ſumpto uidelicet effectu, qui ſenſu aliquo perſpicitur, ad illius mox tū generationis tū eſſentiæ cauſas pertingere conaretur. Ac merito quidem cenſuit grauiſsimus philoſophus Ariſtoteles ab effectibus ad cauſas procedendum eſſe: quoniam cognitio noſtra omnis, ut ante dixi, a notioribus nobis ad ignotiora nobis contendens habet initiū. ſenſilia uero nobis notiora ſunt quippe cum ſenſu aliquo percipiantur: itaq; a recte philoſophari cupientibus ea primo inſpicienda ſunt. effectus enim ſunt opificij naturæ ipſius fines. generatio autem naturalis eſt, ut ad finem perueniat a natura præfinitum: hoc eſt ad ſubſtantiam: quamobrem illius gratia & ratione omnis generatio eſt. Quam rem ſumpto ab artificioſis exemplo more ſuo patefecit. Artifex domum iam mente ſua conceptā in idea proſpicit: aut extructam foris aliquam domum corporeis oculis uidet. ad ſimilitudinem huius uel in animo, uel foris quidem exiſtentis, aliam cupit ædificare. tum cernit quæcunq; ad futuræ domus conſtructionem præeſſe & præcurrere debeant: ut lapides calcem, trabes, & reliquam id genus materiam. quocirca uniuerſam eam ſibi tanquam neceſſariam comparat. domus enim ſiue animo concepta, ſiue foris uiſa, pri-

mum cognoſcitur ab artifice: præterea cernitur om nis illius ſtructura & edificatio: qua quidem artifex ad præfinitum intentumq; initio finem deducitur. qui ſi rogetur, quamobrem ſic fiat domus? poteſt reſpondere: ideo ſic fit: quoniam tale quiddam eſt domus. Nam ſubſtantiæ gratia eſt generatio: nõ contra, cauſa generationis eſt ſubſtantia. Si quis Ariſtotelis *uerba deſideret hæc ſunt in primo de partibus animalium.* Latere *autem ne illud quidẽ oportet, an ita agendum, quemadmodum priores authores, quomodo res quæq; fieret, quàm quomodo eſſet, tractare maluerunt: non enim inter hæc parum intereſt. Sed enim exordiendum quod dictum iam eſt, ut primum res perſequamur, quæ quoq; in genere conſpectiores, promptioresq; habentur, deinde cauſis reddamus, & generationem. hoc enim in ædificijs etiam potius euenit. quod enim forma ædium talis eſt, aut quod tales ſunt ædes, idcirco fieri ædes hunc potius in modũ cenſemus. generatio enim ſubſtantiæ gratia eſt, non ſubſtantia generationis gratia. hæc* Ariſtoteles: *quæ uera ſunt regulariter, & pleruñq; non tamen ſemper & neceſſario.* Fit *enim interdum, ſed raro id quidem, quod iam dixi antea, ut cauſa magis apprehendatur ſenſu, quam effectus: notiorq; ſit cauſa non tantum naturæ atq; ſimpliciter: uerum etiam nobis. quamobrem tunc procedere à cauſa oporteat ad effectum.* At *canones*

Ariſtotelis in Philoſophia ſic intelligendi & accipiendi ſunt, ut ueri ſint plerunq; & fere in omnibus, quod etiam Paulo ante annotaui.

DE ORDINE AC NVMERO LIbrorum naturalis philoſophiæ diſpoſitorum ab Ariſtotele.

AGE conſideremus, quo pacto Ariſtoteles hanc methodum adeoq; hunc ordinem doctrinæ in libris uniuerſæ phiſiologiæ definitis ac ſuis locis, collocandis, redigendiſq; in ordinem, obſeruauerit. cum autem fere quot capita, tot ſententiæ ſint apud peripateticos de ordine ac numero librorum phiſiologiæ Ariſtotelicæ: nunc ego, quod mihi probabilius uidetur, id quam breuiſsime fieri poteſt, recitabo: ut plane uideant omnes hanc methodum, atq; hunc ordinem doctrinæ tamquam in ſpeculo & in exemplari quoddam, in librorum Ariſtotelicorum diſtributione. nec enim propoſitum meum eſt in præſentia diſputare de Ariſtotelicis libris, ac de illorum numero & diſpoſitione: at ſolū didacticam methodum explicare. itaq; primum eos recenſebo, inter quos ordo eſt neceſſarius: cathalogum porro inſtituam reliquorum: & pariter omniū. Phiſicarum auſcultationū liber eo primus eſt, quod in eo tractantur omnia, quæ uniuerſæ communia

ſint phiſiologiæ: quæ profecto in libris omnibus alijs cum uerſamur, iam explicata ſubijcimus. Alter liber eſt de cælo & mundo, illo quidem prior, qui de ortu atq; interitu eſt: quandoquidem corpus, quod localiter mouetur, prius & uniuerſalius eo eſt quod mouetur ad formam: liber de ortu atq; interitu omnino tertius eſt, libro ſane prior metheorologicorũ: nã priora ſunt ac uniuerſaliora, quæ ad formã ſimpliciter mouentur, ijs quæ ad mixtorũ formam. Quartus liber eſt metheorologicorum, eo uidelicet prior, qui de mineralibus eſt: quippe cum priora ſint, elementisq; propinquiora mixta imperfecta, quã penitus abſoluta & perfectiſsima quæq; liber mineralium quintus eſt, eo ſine dubio prior, in quo de plantis agitur ac diſputatur: eoq; pariter, in quo diſseritur de animalibus: mixta quidem inanima priora ſunt animatis.

Ordo neceſſarius inter hos libros eſt: in quibus Ariſtoteles optimus artifex methodi ſic ordinem doctrinæ obſeruauit, ut in multis pertractandis thematibus ex uniuerſalibus & ex naturaliter prioribus ad particularia, et naturaliter poſteriora, diligẽtiſsime & exactiſsime proceſserit, nos deinceps libros etiã reliquos enumeremus.

Si prorſus a communioribus uelimus proficiſci, librum de anima ipſi haud dubie libro de plantis conueniet preferri: ſed hic librum de animalibus ante-

cedet: quippe cum animalibus & plantis communior ſit anima & cum plantæ ſint animalibus priores & communiores. Si quidem anima tum in plantis tum in animalibus eſt, oportet animam eſſe plantis atq; animalibus communiorem. imo ſi uelimus hunc progreſſum ad unguem obſeruare, liber de anima erit libro de cælo & mundo anteponendus: Si *modo anima, quæ in ſecundo libro de anima difinitur, communis etiam ſit, quemadmodum grauiſsimis aliquibus peripateticis uiſum eſt, animarum cæleſtium analogia quadam.* Verum *quia ſunt manifeſtiora nobis, quam plantæ, animalia: & plantæ, quam anima. ut probatũ ſæpenumero eſt a doctiſsimis uiris. iccirco librum de animalibus optimo iure antepoſuit libro de plantis* Ariſtoteles*: quemadmodum plane indicat ipſe in exordio metheorologicorum* Deinde *liber is, qui de plantis eſt, librum de anima præire debet: quem forte cum* Ariſtoteles *minime perfeciſſet, illum eius diſcipulus* Theophraſtus *omnino* Ariſtotelice *compoſuit.* In *his autem libris eum doctrinæ ordinem ſequi minime conueniebat qui ſecundum naturam eſt ab uniuerſalibus ad particularia: ſiue a prioribus ad poſteriora in his enim poſteriora minusq; communia ſunt nobis prioribus & magis communibus manifeſtiora. ſed magis eum expediebat doctrinæ ordinem tenere: qui ſit aptior & cõmodior ad docendum, pariterq; ad diſcendum.*

a nobis enim manifeſtioribus ad plane ignota nobis, & ad minus etiam nota debemus proficiſci: quemadmodum ante dixi, qualia tandem cunq; ſint illa nobis manifeſtiora: ſiue priora quidem: ſiue poſteriora: ſiue uniuerſalia: ſiue particularia: ſiue cõmunora: ſiue minus cõmunia: ſiue nota nobis & non ſimpliciter nota: ſiue nota æque nobis atq; ſimpliciter.

Vt ſumatim igitur dicam, primus liber eſt Phiſicarum auſcultationum: alter de cælo & mundo: tertius de ortu atq; interitu: quartus metheorologicorum: mineralium quintus: ſextus de animalibus: ſeptimus de plantis: octauus de anima. poſt librum de anima liber quidem paruorum naturalium collocatur: ſed is nullum proprie habet certum locum in philoſophia, quod ad doctrinæ ordinem pertinet. ad uarias enim partes philoſophiæ referẽdæ ſunt uariæ partes eius operis tamquam auxiliariæ quamuis earum certus aliquis ordo poſſet etiam explicari. idem quoq; de problematũ libro ſentire ac dicere opus eſt

DVOS ESSE DOCENDI HABITVS.

PRæter illa, quæ hactenus fuerunt a nobis dicta, ſcire ad methodi perfectam cognitionem ſatis ſuperq; intereſt omnium: circa omnem contẽ-

plationem & docendi uiam cum ignobiliorem tum nobiliorem, ut Ariſtoteles *in primo de animalium partibus diſſeruit, habitus duos eſſe. Quorum alterum ſcientiam rei appellare, alterum ueluti peritiã quandam recte habet.* Ac *ipſius quidem rei ſcientia eſt, cum ex ipſius cauſis procedat uniuerſam eius eſſentiam tum affectiones & paßiones continentibus & declarantibus.* Deinde *in altero, qui peritia eſt, res ut ſunt, & ſub aliquem ſenſum cadunt, exponuntur, nullis earum manifeſtatis cauſis, nullis ue rationum perſuaſionibus concinatæ: ſed nudis tãtum uerbis ſimpliciter deſcriptæ: & ueluti quibuſdam lineamentis ruditer effigiatæ.* Rerum *enim quedam ſunt: quarum ipſum quidem eſſe ac proprietates, hoc eſt ipſum ut, uocant, quia. manifeſtum eſt in uniuerſum.* Ac *rerum huius generis in uno eodemq́; libro debemus tractare atq; oſtendere, tum quia, tum propter quid ut* Ariſtoteles *quoniam pluuiarum, grandinum, cometarum, metallorum, lapidum, & metheorologicorũ aliorũ ipſum quia omnibus fere notum uidebat, propterea illorũ quia & illorum propter quid, in uno ſimul opere ſpeculatus eſt* In *qua enim parte iridẽ eſſe circularis figuræ itidem ſolis coronam & reliqua huiuſmodi, narrauit, in eadem cauſas inuenit, pariterq; illas demonſtrauit. quocirca libri metheorologicorum habitus, cum peritia, tum ſcientia eſt.* Res *aliæ porro ſunt, qua*

rum affectiones & proprierates latent nos, quarumq; adeo ipſum quia plane ignoratur. huiuſmodi res non in uno eodemq; libro debent tractari: ſed earum, eſſe, affectiones, & proprietates adeoq; ipſum quia in uno: propter quid autem in altero.. ac prioris libri habitus peritia eſt, poſterioris autem ſcientia. ex quo Ariſtoteles*, cum intelligeret,* Ani*malia eſſe quam plurima: & eorum partes cum intrinſecas tum extrinſecas propemodum innumeras. & uarias uitas, uictuſq; uarios:* Ac *horum omniũ eſſe plurimas affectiones, & proprietates: ut uix certo aliquo numero ualeant comprehendi. faciendum iudicauit: ut in primis animalium uires, partes, operationes, generationes, uictus, uitarum proprietates, cæteraq́; id genus, quaſi perſonam hiſtorici agens narraret ſimpliciter ac nudis propemodum uerbis. ac proinde illa cõmentariorum pars merito de animalium hiſtoria inſcribitur.* Deinde *in poſterioribus cõmẽtarijs, illo fere ordine, quo proceſſit in prioribus, de eiſdem rebus diſtinctiori tamen & exactiori modo & ratione differit: actionumq; in illis atq; proprietatum & affectionũ ſcrutatur cauſas.* Quo *fit ſane ut habitus libri de animalium hiſtoria, omnino peritia exiſtat: cæterorum autem de animalibus librorum, ſcientia.* Ac Theo*phraſtus id fecit de plantis, quod Ariſtoteles de animalibus preſtiterat.*

DVOS MODOS ESSE *demonſtrationum.*

NE quis falſo arbitraretur, omnino eſſe rationis eiuſdem corruptibilium & ſempiternarũ rerum ſcientiam: propterea docuit Ariſtote*les duos modos demonſtrationum. quorum ſit unus in naturalibus rebus, qui etiam intelligi debet in artificioſis: alter autem in contemplatiuis diſciplinis, hoc eſt in ueris entibus & immutabilibus ſubſtantijs tum diuinis, tum mathematicis tum quouis modo abſtractis.* Principium *enim ille inquit, alteris quidẽ: hoc eſt contemplatiuis diſciplinis. ens eſt. id nimirum quod æternum eſt ac inmutabile: quod neq; corrumpi, neq; impediri poteſt. nam more* Platoni*corum ens accipitur.* Alteris *autem uidelicet naturalibus rebus & artificioſis principium illud eſt: quod erit. ideſt duod fit, quodq́; interitui eſt obnoxium. quod profecto a uarijs cauſis facile poteſt impediri: ut fine ſuo fruſtretur, in ijs enim poſito fine, illa quoq; neceſſe eſt ponere, quæ neceſſario ad finem pertineant: minime autem econtrario: nam plerunq́; ſunt finem præcurrentia: nec ullus tamen ſequitur finis.* Domo *enim ædificata omnino ſunt lapides, ligna, & reliqua tota materia, ex qua domus conſtruitur.* At *ſi fuerint hæc, nõ erit neceſſe domum fabricari. quod ſimiliter in naturalibus etiã*

rebus conſpicuum hēmus. cæterum in contemplatiuis ſcientijs effectus & cauſæ neceſſariam habent conuerſionem. ut in mathematicis habere angulum extrinſecum duobus intrinſecis equiualentem: & habere tres angulos. Deinde ut in methaphiſicis eſſe animal rationale, & eſſe riſibile: deniq; ut in cæleſtibus, quæ ſunt prorſus inuariabilia, ſolē eſſe in Capricorno, & nos habere longiſsimas noctes. Ariſtotelis uerba, quæ habentur in primo de partibus animalium ſubijcio. Demonſtrandi modus, ait, neceſsitatisq́; ratio, in naturali doctrina diuerſa, atq; ſcientijs ſpeculatiuis eſt. dixi de his alio loco. principium enim alteris quod eſt: alteris quod erit accōmodatur. quod enim talis ſanitas, aut homo, hoc uel eſſe, uel factum iri neceſſe eſt. non quia hoc uel eſt, uel fuit, illud neceſſario uel eſt uel erit. neq; huiuſmodi demonſtrationis neceſsitatem ita perpetuitati annectere poſſumus, ut dicere liceat, hoc eſſe, quoniam illud eſt. ſed de his etiam alio loco diſputatum a nobis eſt, quibus in rebus id liceat, & quæ poſsint reciprocari, & quam ob cauſam. (in ſecundo uidelicet analiticorum poſteriorum libello, atq; in ijs, qui de ortu & interitu ſunt, commentarijs: circa illorum enim finem hac de re diſſeritur.) hactenus Ariſtoteles. hic annotatione dignum eſt, nec a iuris prudentia, nec ab artibus alij quærendam exactiſsimam demonſtrationem, qualis in contem-

platiuis

platiuis & ſpeculatiuis diſciplinis & ſcientijs habetur, quemadmodũ neq; a morali philoſophia (quãquam in his poteſt uterq; habitus eſſe, cum peritiæ, tum ſcientiæ) de ipſa enim Ariſtoteles inquit ad Nichomacum. Dicetur autem ſatis, ſi declarabitur perinde, atq; ſubiecta materia poſtulat. ipſum enim exactum non eſt in omnibus ſimilimodo rationibus flagitandum: ſicut nec ijſce, quæ per artem conficiuntur. hæc Ariſtoteles. itaq; ſunt res duplices tũ neceſſariæ. atq; a neceſſarijs cauſis ex quibus proprie dicta ſcientia oritur: & a quibus nimirum ſecũtur neceſſarij effectus. tum ſunt res contingentes, & a contingentibus cauſis, ex quibus etiam ſecuntur effectus contingentes, & ex quibus oriri ſcientia proprie dicta minime poteſt. ex quo ſcientiæ cuiq; certus modus doctrinæ debet accommodari, quem eius quidem ſcientiæ materia poſtulat. ſi materia quidem neceſſaria eſt, modus doctrinæ uere ac proprie demonſtratiuus eſt, ueram & propriam ſcientiam generans. At ſi materia contingens eſt doctrina etiam ex contingentibus procedit, cuius modus proprie non fuerit demonſtratiuus, nec proprie ſciẽtiam generabit: ſed uel opinionem, uel qualem ſcientiam. quatenus more hyſtorici narrãtis minime dabitur nudis uerbis, at qualibuscunq; in medium allatis argumentis confirmabitur.

DE COMPENDIO.

Studioſi iuuenes hoc in loco uidentur mihi eſſe admonendi: tam & ſi compendiūm, quod a græcis ἐπιτομὴ συνοψίσq; *appellatur, differat a methodo, ipſum tamen cum ea eſſe coniunctum, quæ doctrinæ ordinem oſtendit. Ac proinde in præſentia non omittendam eſſe compendij expoſitionem: cum illud præſertim grauiſsimus philoſophus Ariſtoteles obſeruauerit: cumq; methodum hanc probe conſequatur: quam nunc abſoluimus. tum igitur compendium eſt: cum ea, quæ in diuerſis uoluminibus cumulatiſsime atq; ampliſsime tractata fuerunt: in uno breuiter ac ſummatim libro explicamus omnia: perinde atq; ſolent geographi uniuerſum terrarum orbem in tabella depictum uno quaſi contuitu cernendum proponere. nam compendium breuitatē ſignificat, in qua tamen ſit utilitas: Plautus enim in Mil. ait: quam potes tam uerba confer ad compendium. Ariſtoteles in libro illo Aureolo de mundo, quē Alexandro macedonum regi nuncupauit, cōpendio uſus eſt. breuiter quidem atq; ſummatim in eo dixit, quæcunq; in omnibus libris philoſophiæ copioſius & latius pertractauerat. habitus autem cōpendij magis peritia eſt, quam ſcientia.*

METHODI COMPENDIVM ET EPILOGVS.

QVoniam in didactica methodo explicāda tradendaq́; , ipſius methodi regulas & canones obſeruauimus : propterea quo magis eam illuſtremus , & ſtudioſis reddamus amabiliorē : quæſo illam per epilogum etiam ad compendium facile conferamus . itaq́; methodus compoſitionem & reſolutionem ductam pleruną; a fine inuento rei propoſitæ comprehendit . ad quas profecto duas uias compoſitionem & reſolutionem , uiæ ac methodi cæteræ omnes referuntur , ut per didacticam methodū̃ poſita in abſtruſo ueritas plane breuiterq́; in lucem proferatur . Ne *quis uero aliquando forte fortuna exiſtimaret uſum methodi eſſe tantummodo in philoſophia : nec ad ſcientias alias , & artes , diſciplinaſq́; attinere uſum eius arbitraretur. ex theologia unum proferamus exemplum :* Deinde alterum ex *artificioſis .* Ariſtotelem porro *hanc methodum in* Methaphiſica *diligenter obſeruauiße indicabimus & plane aperiemus . quemadmodum etiam in logica & pleruną; alias fecit. Cum inquam primi eccleſiæ patres* Apoſtoli *chriſtianam doctrinam , qua fideles omnes credenda ipſa edocerentur , ut non ſolum poſteri facile intelligerent quid opus creditu eſſet : uerum etiam ut haberēt , quid in uarietate opinionum de religione , quam opera ſathanæ præuidebant futuram , ſequerentur : cogitarent ſtatuerētq́; perſpicue & breuiter explicare : atq́; uniuerſam in*

Simbolum unum redigere: id auxilio methodi præſti terunt, itaq; principio more hiſtoricorum narrantes, ac nudis & ſimplicibus uerbis conficientes negocium, in Religione *chriſtiana finem inuenerunt uitam æternam. tũ uia reſolutiua procedentes, quia morimur omnes, uiderunt eſſe neceſſariam carnis reſurrectionem: at quia per peccatum morimur, & ſublata cauſa effectus etiã tollitur, idcirco remiſſionem peccatorum docuerunt. ſed quo pacto remiſſionem peccatorum fieri cognouerunt; per ſanctorum inquam communionem: id eſt per ſacramenta nouæ legis: aut per communem eccleſiæ catholicæ, adeoq; ipſorum congregatorum ſimul* Apoſtolorum *conſenſum.* At *quomodo exploratum habuerunt, ſuum illum communem conſenſum proculdubio eſſe conſenſum eccleſiæ? nempe quia crediderunt indubie ſanctam eccleſiam catholicam, cui* Petrũ *dominus præfecerat. id porro habebant perſuaſum, quia credebant in ſpiritum ſanctum, qui cordibus ſanctorum ueritatem omnem inſtillat. hunc autem ſpiritum ſanctum a filio dei ac domino noſtro* Ieſu Chriſto *qui ſit uenturus iudicare uiuos & mortuos dari plane intellexerunt, propterea quòd ſedet ad dexteram patris. ubi certe cum ſedeat, neceſſe fuit eum aſcendiſſe in cælum. quo profecto minime potuit aſcendere: niſi prius a mortuis excitaretur & reſurgeret. nec reſurgendum ei fuit, niſi ante moreretur ſepeli*

retur, deſcenderetq; ad inferos. ut autem moreretur, & ſuffigeretur in crucem, eum naſci prius cõueniebat ex uirgine, cuius natiuitatem neceſſe fuerat a conceptione anteiri, quæ de ſpiritu ſancto eſſet quandoquidem unicus filius dei erat. ex quo præterea Deum *eſſe patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ ſequebatur. in quo mens humana debet quieſcere: nec reſolutionem quærere ulteriorem. Cũ ergo patres illi noſtri, uia reſolutiua hoc modo proceſſiſſent: tum uia compoſitiua progredientes fecerunt ſimbolum, inde auſpicantes & exordientes cõponere, ubi reſolutio deſierat. & deniq; finientes compoſitionem, unde reſolutionem incæperant.* Tale *autem ſimbolum quod principio ediderunt* Apoſtoli, *de chriſtianæ doctrinæ hyſtoria poteſt eo inſcribi: quod nullis probationibus & confirmationibus allatis, nudis & ſimplicibus uerbis tantum ſcripſerunt, & accipiendum & credendum poſteritati pietatis affectu ipſum tradiderunt.* Ac *id ſimbolum cõpoſitum fuit, & creditur, eo habitu, qui peritiæ ſimilis eſt.* Deinde *ſequentes orthodoxi patres illa prorſus eadem tractauerunt, non iam nudis uerbis, at cauſis & argumentationibus prolatis, quibus hereticos homines confutarent,* Philoſophisq; *plane oſtenderent, ea eſſe nequaquam impoßibilia, & contra eadem philoſophorum nullius mométi eſſe argumenta. quemadmodum in quatuor ſententiarum*

libris facile uideri poteſt. habitus uero, quo talia ſic orthodoxi patres edocuerunt, ſcientiæ ſimilis eſt: quanuis proprie ſcientia minime ſit. ex theologiæ fontibus deprompſi exemplum, quo monſtratur, eam duplicem uiam & methodum famulari etiam theolgiæ atq; Religioni perquàm utiliter. pari ſimilitudinis modo in artium & mechanicarum ambitu duplices hos cognoſcendi & procedendi modos plane eſt uidere. cum nuſquam eſſent domus, ac ſub dio uitam omnes homines ducerent: paßimq; in agris beſtiarum more uagarantur, & ſibi uictu ferino uitam propagarent: nec ratione animi quidquam, ſed pleraq; uiribus corporis administrarent. fuit primum eo tempore certus aliquis artifes, qui de domo conſtruenda cogitauit & deliberauit. is reſolutionem a fine inuento ſuſcepit. ei profecto ſuggerebat neceſſitas, arcendas omnino eſſe a corporibus homninum pluuias, niues, omnes tempeſtates, & inclementiam aeris. ex hoc fine cæpit uir ille ad hunc modum reſoluere. tegumento eſt opus, quod ſupra homines pendeat: ſed quoniam grauia niſi fulciantur, ſuſpenſaq; teneantur, nutu ac pondere ſuo feruntur deorſum: iccirco ſunt neceſſarij parietes, qui tectum ſuſtineant. cum autem parietes non queant eſſe firmi & ſtabiles, niſi fundamentis nitantur: propterea expedit in primis fundamenta iacere. cum uir ille ſic a fine inuento per re

ſolutionem in ſuas partes diduxiſſe domum: ut tandem ueniſſet ad fundamenta: quoniam inde principium ſumit compoſitio, ubi reſolutio deſinit: tum propterea eſt aggreſſus artifex domum conſtruere a fundamentis: iactis porro fundamentis ille ſuperſtruxit parietes. Deniq; *ſuper eductos & erectos parietes, quod in ſublimi emineret, ipſum tectum collocauit: ædificioq; ſuo finem impoſuit.*

Duplices *cognoſcendi & procedendi modos exemplis noſtris in theologia inq; ipſis artibus & mechanicis demonſtrauimus. illud quæſo idem exacte præſtitiſſe* Ariſtotelem *in methaphiſica facile aperiamus.* Ariſtoteles *inquam præſtantiſſimus & clariſſimus in omnibus conſcribendis libris artifex methodi, cum diſertiſſime uideret, uiam compoſitiuam, qua id exequimur, quod animo iam conſtituimus, inde incipere; ubi reſolutio deſinat, quæ optimo iure, ut ante dixi, a fine ipſo ducenda eſt:* Methaphi*ſicam feliciter compoſiturus, ante omnia finem inuenit: hoc eſt deum: quo beatur hominum intellectus, una cum reliquis omnibus a materia quidem ſeparatis mentibus: quæ primæ ſunt cauſæ uniuerſi entis.* Ac *tum ſapienter uidit: non poſſe humanum intellectum ad harum cauſarum notionem conſcendere: niſi partes entis prius conciperet, atq; apprehenderet: nempe ſubſtantiam & accidens: ac ſubſtantiam quidem tum compoſitam tum ſimplicem:*

deinde compoſitæ ſubſtantiæ partes, & materiam uidelicet, & formam: porro entis paſsiones, ut actum & potentiam: ut unũ, & multa: ut ea quæ unum conſecuntur: qualia ſunt idem, æquale, ſimile, atq; horum oppoſita: ut illa porro quæ ipſa quidem multa conſequntur: qualia ſunt oppoſitio, contrarietas, ac huius generis alia. Inſuper *cognouit* Ariſtoteles, *neminem pertractare utiliter unquam poſſe de ente, & de partibus, & paſsionibus entis: niſi prius manifeſtaret, obfirmaretq; methaphiſicæ primum ſubiectum, primiq; ſubiecti principia: niſi & methaphiſicorum terminorum ac nominum imprimis explicaret multiplicitatem: ne qua forſan equiuocatione perturbaretur, & confunderetur diſputatio: niſi & prius ea, quæ dubitationes ad utrãq; partem habeant, aperientur.* At *quia potiſsimum inuentæ ueritatis argumentum & ſignum eſt dubitationum ſolutio, propterea iudicauit agendum prius de uniuerſa ueritate, deq; modo & ratione illius per ueſtigandæ, quam dubitationes in medium proferret.* Ne *uero aduerſariorum abſurdæ opiniones ulla unquam ex parte, ueriori ſuæq; ſententiæ, quam manifeſtaturus erat, obeſſent, de primis cauſis entis: idcirco putauit opærepræcium fore, ſi principio antiquorum opiniones de cauſis rerum exploderentur.* Itaq; Ariſtoteles *cum animo ſuo ductam a fine reſolutionem abſoluiſſet, tum uia compoſitiua mirabili*

quoddā ordine procedens hinc aggreſſus eſt ad aperiendam & proponendam nobis uniuerſam Methaphiſicam, ubi animo ſuo iam facta reſolutio deſiit. Ante omnia igitur in primo libro antiquorum opiniones de rerum principijs confutauit. in ſecundo egit de uniuerſali ueritate, deq; ratione illam perquirendi. In tertio quæ ad utranq; partem dubitationes haberent, ea expoſuit. In quarto ſubiectum, & ſubiecti quidem affectiones paſsionesue, ac prima eius complexa principia explicauit. In quinto multiplicitatem Methaphiſicorum nominum plane mōſtrauit. In Sextò diſſeruit de ente, quatenus ipſum in ens per ſe, & ens per accidens, & in ens in anima, & extra animam diuiditur, oſtendens a conſideratione methaphiſici ens in anima, & ens per accidens longe abijciendum. In ſeptimo diſputauit de ente, quatenus ipſum in ſubſtantiam & accidens atq; adeò in predicamenta diuiditur: quantum ſane ad definitionem, atq; ad partes definitionis pertinet. quod uero attinet ad ea quæ ſunt principia entis re ipſa & extra animam, de ipſo in octauo libro diſſeruit. In nono ut per actum & potentiam: In decimo ut per unum & multa diſtribuitur. Cum iam in decem libris ea cumulate pertractaſſet, per quæ intellectus ad ſubſtātiarum ſeparatarum notionem, ac ipſius Dei optimi maximi ante omnia præparaetur, ut doctiſsimi uiri peripatetici non immerito appellauerint

pellauerint eos decem libros præparatorios: tum ei ſapienter uiſum eſt, undecimum librum conſcribere: qui ſuperiorum omnium eſſet fere compendium: ut mens ad finem ſuum ultimum, hoc eſt ad contemplatiuam uitam & felicitatem properans ea repetere ſummatim ac breuiter, quæ partim in naturali philoſophia, partim in ſuperioribus libris didiciſſet. Poſtremo igitur in decimo libro monſtrauit primas cauſas, & prima principia entis, hoc eſt intelligentias, & abiunctas omnino per eſſentiam a materia ſubſtantias eamq; præcipue a qua cælum & uniuerſa natura pendeat: quæ ſit primum quidem principium noſtrum, & noſter ultimus finis, cui cum fuerimus, ut exiſtimauit Ariſtoteles, per adeptionem ſcientiarum copulati, uere tunc beati erimus & felices.

Omnes iam perſpicuum & exploratū facile queunt habere, uſum methodi uſq; adeo late patere, ut nulla ſit ars & diſciplina cum ignobilior, tum nobilior, quam ſine methodo feliciter poſsimus edocere, aut diſcere, ac probe omnino intelligere.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRORES.

Pagina	Verſu	
9	penult.	*exactè*
11	17	*ſumus*
13	15	*tangitur*
18	9	*u:iuerſum*
23	9	*coniunguntur*
24	12	*noſtra*
29	24	*forſan*
30	18	*grammaticam*
63	15	*excutienda*
67	8	*naturalibus*
42	9	*Ar:ſtotelis*
43	18	*logica*
46	ult.	*more*
55	6	*uniuerſalia*
5.	10	*ab indiſtinctisq;*
55	18	*proficiſcitur*
82	pri.	*minus*

B O N O N I AE
In Aedibus Anſelmi Giaccarelli, Peregrinus Bonardus Socius Excudebat. Anno a genere Humano Redempto M. D. LIIII.